

OTHONIS ZYLII E SOC. IESV
HISTORIA MIRACVLORVM B. MARIÆ SILVADVCENSIS,

iam ad D. Gaugerici Bruxellam translatæ.



ANTVERPIÆ;
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXXII.

ISABELLÆ
CLARAE EVGENIAE,
HISPANIARVM INFANTI,
MATRIS DEI
MARIÆ
CVLTRICI EXIMIÆ.



VT hæc MIRACVLA, Latinis à me litteris ad posteritatis memoriam consignata, CELSITVDINI TVÆ, partim lucis, partim tutelæ adsciscendæ caussâ venerabundus offerrem, tum alia non pauca, tum hæc præ ceteris me impulerunt; propensio animi mei, ductus ipsius DEIPARÆ, & præsens Reip. atque Imperij Tui status. Quamuis enim sponte meâ, ac pronæ voluntatis impulsu (quem sanè maxi-

 mum

mum ſentio) non vehementer incitarer, vt hanc Hiſtoriam benigniſſimo patrocinio Tuo committerem; deduceret me tamen ad Te ipſa Regina cæleſtis, neque ſineret alteri cuiquam hæc tam admiranda potentiæ ſuæ monumenta conſecrari. Cùm enim lætiſſimis oculis DIVA viderit Statuam illam ſuam tot prodigiis nobilitatam, tot beneficiis in calamitoſos deriuatis celeberrimam, Te gratulante in hanc vrbem accipi, Te proſequente in ædes nouas deduci, Te maximè volente optimorum ciuium venerationi ac deſideriis exhiberi; non fuit mihi diutiùs ambigendum, quónam hoc volumen, de clariſſimis eius operibus à me conſcriptum, deſtinandum eſſet. Nam cùm in Imagine ſuâ Te potiſſimùm DEI MATER adierit, quò mihi ſequendum eſſet, ſignauit iter: cùm Tuæ vrbis hoſpitium ipſa delegerit, ad Te quoque mihi diuertendum eſſe, quaſi digito monſtraſſe viſa eſt. Ad quam igitur MARIA ipſa præiuerat,

rat,

rat, eam mihi præterire non licuit: neque consultum erat aut à tantæ Ductricis vestigiis per temeritatem aberrare, aut ab Optimæ MATRIS nutu per impietatem desciscere. Ita quæ inchoandi laboris auctor, atque absoluendi adiutrix fuerat, eadem quoque mihi dedicandi operis auspex facta est. Quamobrem neque solus ad CELSITVDINEM TVAM venio, quem comitatur DEI PARENS; neque aliò tendere potui, cui præeuntem VIRGINEM intueri iucundissimum, sequi tutissimum videbatur. Ergo meum hoc munusculum tamquam per DEIPARAM accipies, quæ Tibi & Imaginem suam, & MIRACVLA sua, & Scriptorem suum tradit atque commendat. Sed & ipsa Reipub. tempora, non Musis tantùm & cultioribus litteris, verùm communi etiam Belgarum tranquillitati haud parum infesta, postulare à me credidi, vt CELSITVDINI TVÆ, quam graues publicarum aduersitatum procellæ

circumſtant, ſalutiferam hanc MARIS STELLAM non vt ignotam obſcurámve oſtenderem, ſed tamquam fulgidam lucentemque quaſi in tabellà depictam exhiberem; cuius STELLÆ aſpectus optatiſſimam lucem, lux ſerenitatem, ſerenitas portum fluctuantibus omnibus ſemper aperuit. Illa ſanè Tutrix clementiſſima, quæ tot priuatorum miſerias reſpexit, tot clades depulit, toties ſæuiſſimos turbines à pereuntibus amolita eſt; cùm Reipub. nauem aduerſi ventorum flatus non ſinant quieſcere, auxiliatricem quoque manum gubernaculis Tuis additura eſt, ac tempeſtates omnes compoſitura: quando & à Te, & à Belgis Tibi obſequentiſſimis, Auguſtæ cælorum DOMINÆ, eiuſque FILIO propitiando, non tam timoris obſequia, quàm pietatis vota (quæ vnica regnantium firmamenta ſunt) adhibita fuerint. Tutiſſimas enim ſceptrorum opes non arma, non ærarium, non exercitus, non ſigna, non duces, ſed

ſed caſtum purumq́ue DEI cultum, & germanam pietatem exiſtimo. Longè fortior, longeq́ue ſecurior eſt inermis virtus, quàm armata impietas. Hæc diu ſtare, illa diu iacere non poteſt: hæc aliquando vincit, vt pereat; illa vincitur, vt ſeruetur. Quæ tamen non eò à me dicta ſunt, quòd iudicem à Reipub. procuratione humana illa præſidia, quæ Tu optimè noſti, abeſſe poſſe: ſed quòd primas in Regno partes Diuini Numinis reuerentiæ tribuam, quodq́ue magna ſecundùm DEVM in DEIPARAM pietas pro firmiſſimo ac palmari imperantium præſidio habenda ſit. Hæc eſt prætoria cohors, hæc infracta triariorum phalanx, obſequium, amor, cultuſq́ue DEIPARÆ; cuius deprecatio Illum Principibus conciliat, ſine cuius Numine ac tutelâ, & propugnacula, & legiones, & caſtra, & excubiæ, & machinæ, & armamenta omnia leuiſſimis aranearum telis infirmiora ſunt. Hanc Tu MAGNÆ MATRIS venerationem ſic æſti-

æſtimas, vt profitearis; ſic profiteris, vt exerceas; ſic exerces, vt doceas; ſic doces, vt exemplo perſuadeas, auctoritatis maieſtate tuearis. Atque vt cetera taceam Tui in MARIAM affectus indicia vel crebra vel publica, omnium oculis accepta, omnium præconiis decantata, omnibus pænè templis, aris, tabuliſque ſpectanda; hanc Siluaducenſem DIVAM hoſpes exſulem, ſalutatrix chariſſimam, ſupplex DOMINAM frequenter inuiſis, amplecteris, veneraris: quam ex meo ac bonorum omnium voto ſenties quoque publicorum periculorum, cladium, bellorum, non minùs quàm priuatus quilibet afflictionum peculiarium, depultricem; & fatigatos bellis ante ipſos natis Belgas aliquando in intimo deſideratæ pacis gremio collocabis. Quemadmodum autem Tu peregrinantem Virginis exſulis Statuam incredibili ſtudio ac veneratione ſuſcepiſti, atque ad hanc eius MIRACVLORVM HISTORIAM per-

pertexendam me materno magis, hoc eſt verè Tuo, quàm Regio imperio incitaſti: ſic equidem MISERICORDIÆ MATREM pronus veneror atque obteſtor, vt Te, poſtquam impleueris quam mereris ætatem, decurſâ feliciſſimè vitæ huius peregrinatione, in præparatas virtutibus Tuis ſedes accipiat, atque ALBERTO OPTIMO, PATRIÆ PATRI, OPTIMAM BELGARVM MATREM ſerò adiungat.

SER^{MÆ} CELSITVDINI TVÆ

Cliens æternùm deuotiſſimus

OTHO ZYLIVS
Soc. IESV Sacerdos.

** LECTO-

LECTORI BENEVOLO.



CVM circiter annum à CHRISTO *nato* CIↃ. IↃC. XXII. *Siluæducis de B. V.* MARIA, *plurimorum miraculorum effectrice, nihil vulgò certi extaret, præter confusam, & iam senescentem eorumdem miraculorum memoriam, solis hominum sermonibus, nullis litterarum monumentis celebratam; fortè euenit, vt in ædilium tabulario complures vetusti Commentarij, omnibus optimæ fidei notis insignes, in manus meas inciderent, sermone patrio ingentem miraculorum numerum complexi. Eos equidem excussi auidè, atque in ijs supra* CCCC. LXXX. *miracula, temporibus, locis, personis, testibus, signata reperi. Quæ cùm, ceu folia Sibyllæ, inter se parum cohærerent, non modico labore à me in ordinem coacta sunt. Verùm, incredibili dolore meo, superstitibus dumtaxat duobus vltimis, desiderabatur primus liber: è quo vt multa prodigiosè à Deiparâ patrata, ita inprimis origines totius operis arcessi potuisse credibile est. Dubitabam interim, plúsne iacturæ mihi obuenisset, an lucri: qui thesauro quidem tam locuplete inuento lætabar plurimùm; non exiguum tamen dolorem perci-*

percipiebam ob deperditam principem partem tam augustæ rei. Videbar namque mihi perueniſſe ad vberem aliquem riuum, cuius fons exaruiſſet; & pulcherrimum corpus ſine capite (ſi tamen id pulchrum dici poteſt) reperiſſe. Accendebat ſitim meam non improbabilis coniectura; quæ ex repertorum miraculorum numero ac magnitudine, amiſſorum eminentiam æſtimabat: atque eò etiam acriùs ſollicitabat animum, quò minor deſiderata potiundi ſpes aderat. Ergo ne his quoque poſterioribus duobus libris (ita iam ſeu diſſolutis, ſeu ſqualore ſituque obſitis, vt proximè ab interitu abeſſent) idem quod primo eueniret, néve tam nobiles tot prodigiorum reliquiæ obliuioni pariter darentur; non antè mihi ceſſandum duxi, quàm & vetuſtæ illæ tabulæ in volumen ſatis ſpiſſum compingerentur, & nouum earum exemplum non ineleganti charactere exaratum exſtaret. Duo itaque confecta ſunt eiuſdem huius argumenti volumina: quorum alterum ex priore deſcriptum, vulgò omnium manibus & oculis patuit; alterum intentiore curâ ſeruatum, vti erat vetuſtius, ita parem dignitati ornatum accepit. Cærulei quippe coloris holoſerico inuolucro opertum, emblematis ſcitè obductis diſtinguitur. Vna inuolucri facies grandibus ex argento litteris argumentum indicat libri, hac inſcriptione expreſſum: MIRACVLA B. MARIAE SILVADVCENSIS. *In alterâ argentea item cæleſtis Reginæ exhibetur effigies, habitu triumphantis. Quamquam ne hoc quidem ſatis nobis viſum*

ſum eſt, comprehenſa tantummodò ſcriptis codicibus magis latere, quàm exſtare miracula. Quamobrem Latinis ea litteris conſignauimus: vt ne exteræ quidem nationes, aut poſteri, res publicâ orbis terrarum luce digniſſimas, ignorarent. Quo in conatu non illi modò libri duo miraculorum iam à tenebris vindicati, ſed & alia nobis monumenta veterum, quæ vndique labore fructuque non pœnitendo conquiſiuimus, permagno adiumento fuère. Tametſi verò, & Maiorum noſtrorum incorrupta in miraculis prodendis integritas, & illorum ſermo, præſenti haud paullò ſincerior, & vetuſtas litterarum, quibus miraculorum codices exarati ſunt, ſatis ſuperque tum ſcribentium fidem, tum rerum perſcriptarum veritatem affirment: nihil tamen æquè tot inauditis euentis auctoritatem conciliat, ac magna teſtium multitudo, quorum nomina atque cognomina cuilibet penè miraculo ſubiecta ſunt. Quæ nomina, licet hominum illis tempeſtatibus honeſtiſſimorum, idcircò ſuis intexere locis conſilium non fuit, ne aut legentibus tædium, aut ſtilo moram, aut libro prolixitatem afferrent. Ceterùm, quotieſcumque toto opere miraculorum indices aut internuntij aſtruendæ fidei producuntur, ea plerumque verborum ſolemnium formula vſurpatur, quæ abundè ſignificet, vnius veritatis ſtudio adductos, magnáque adſtrictos religione, teſtimonia dixiſſe. In marginibus porrò noſtri operis, præter annos, etiam diem expreſſimus; non tam quo quodque miraculum contigit, quàm quo Siluam-

ducis

ducis nuntiatum, & in tabulas relatum fuit. Libros autem non materiæ æqualitate pares, sed annorum habitâ ratione distinctos, partiti sumus; vt velut vna esset eiusdem & temporis & libri narratio. Atque eò factum est, vt secundus liber ceteros quemadmodum affluentiâ miraculorum, ita mole excederet; cuius nimirum annus vnicus longè vberiorem cælestium frugum prouentum peperit, quàm tres reliqui, duorum ferè sæculorum euenta complexi. Cùm verò in miraculis supra CCCC. *&* LXXX. *(quot ferè indagando assecuti sumus) occurrerent plurima inuicem ita similia, vt paribus morbis aut cladibus curationes quoque & exitus parum dispares responderent; plusquam* CC. *ac* XX. *consultò à nobis prætermissa sunt: non quòd ea ceteris aut admirabilitate, aut splendore, aut copiâ testium inferiora viderentur; sed quòd legentium siue patientiæ, siue fructui consulendum putaremus. Quippe salubrior est fastidio fames; & parcioris cibi facilior digestio. Deterruit quoque tenuitatem meam tanta prodigiorum moles, tanta rerum eminentissimarum multiplicitas atque maiestas. Imbecilles oculi, nimiâ luce circumfusi, caligabant. Ne tamen omissorum miraculorum numerum aut præstantiam ignoraret cæca posteritas, eorum indicem ad calcem operis attexere placuit, ac tam beneficæ Matris cultoribus cælestia eius dona annumerare. Ex quo deinde peritus quilibet æstimator haud ægrè conficiet, quàm fecundam nobis messem amissus miraculorum primus liber ademerit; in quo vt prima, ita ferè ad famam conciliandam*

 seu

seu plura seu illustriora periisse coniicio. Demum si quem Catholicæ fidei aduersarium contradicendi prurigo in hæc Miracula incitarit; eum rogatum velim, vt, priusquam nobis bellum indicat, diligenter euoluat quæ Scriptores vetustissimi, veræque religionis tenacissimi, de Sanctorum miraculis memoriæ prodiderunt. Excutiat Augustinum[a] de Stephano, atque aliis, Prudentium[b] de Romano, Nyssenum Gregorium[c] de Gregorio Thaumaturgo, Hieronymum[d] de Hilarione, Sulpitium[e] de Martino, Fortunatum[f] de Hilario, Theodoretum[g] de Thalassio, & sexcentos alios de variorum Cælitum profusis in calamitosos beneficiis copiosè, grauiter, eruditè disserentes. His addat quæ clarissimi Theologi, Bellarminus, Richeomus, aliique complures ad tuendam miraculorum maiestatem solidissimè conscripserunt. Illos enim exercitus Catholici triarios nisi qui iugulauerit, me lædere non potest: illis stantibus non possum cadere. Deinde, siquod in nos telum coniicere conabitur, prouideat, obsecro, vti illud saltem nouum sit, & non sæpius iam à Nouatoribus iactatum, sæpius à Catholicis retusum atque contritum. Si enim mel crebriùs gustatum fastidio esse potest; quis tranquillo stomacho belleborum per omnia fercula diffusum excipiet? Quocircà quibus meridie hic miraculorum sol non lucere videbitur, dum id persuadere contendunt, aut noua, quibus nos infestent, argumenta comminiscantur, aut vetera taceant: & quoniam illa sine falsitate non poterunt cudere, hæc sine pudore ne recudant.

[a] Li. XXII. de Ciuit. cap. VIII.
[b] Hym. in eum.
[c] In Vitâ.
[d] In Vitâ.
[e] In Vitâ.
[f] In Vitâ.
[g] Theophil. cap. XXII.

CEN-

CENSVRA REVER[MI] EPISCOPI SILVADVCENSIS.

QVIA clariſſimè conſtat in decurſu tot ſæculorum, quòd piiſſima Virgo Deipara proprias quaſdam Sedes & Imagines elegerit, ad beneficia gratiaſque mortalibus conferendas, tamquam fidiſſima theſaurorum diuinorum diſpenſatrix; & inter cetera loca ingentibus miraculis & gratiis Sacellum quoddam ad plagam Occidentalem Eccleſiæ Cathedralis nominatiſſimæ ciuitatis Siluaducenſis ſitum, ad dulciſſimi nominis ſui inuocationem, & ſuæ præſentiam Imaginis, illuſtre & nominatiſſimum reddiderit, vt ex populi vndique agminatim confluentis concurſu & frequentiâ ſemper patuit, & noſtri maiores & parentes fideli relatione teſtati ſunt, noſque oculis noſtris à quinquaginta & ampliùs annis (vtpote in eâ ciuitate nati, & educati) vidimus: magnoperè laudare cogimur Reuerendi P. Othonis Zylij, Rectoris quondam Societatis IESV in eâdem vrbe Siluaducenſi, ſtudium & laborem, quo ex authenticis ſcriptis tabulis ac monumentis eruit miracula multa ac grandia, aliis innumerabilium miraculorum memoriis ob iniqui-

iniquitatem temporum deperditis, summâ fide registrata & authenticè probata, quæ intercessione gloriosissimæ Virginis illius Vnigenitus operatus est in supradicto Sacello, ad deuotionem erga illam sanctam Imaginem, quæ Dulcissimæ Virginis appellatione ab aliis beatæ Virginis Imaginibus discreta fuit. Hanc verò Imaginem, vel Statuam potiùs, singulari Dei prouidentiâ, nostraque ac deuotarum quarumdam personarum operâ, in occupatione ciuitatis Buscoducensis ab hæreticis seruatam, transferri curauimus Bruxellas, & Serenissimæ Hispaniarum Infanti ISABELLAE CLARAE EVGENIAE consignauimus, quæ illam, per solemnem supplicationem, comitante totâ Aulâ & Clero, reposuit in templo S. Gaugerici in eadem ciuitate Bruxellensi, vbi magno in honore habetur & colitur. Ita attestor manu propriâ, & sigillo nostro, hac decimatertiâ Decembris, anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo, in Geldorp loco residentiæ nostræ.

F. MICHAEL *Episcopus Buscoducensis ex Ordine PP. Prædicatorum.*

IN

IN

DIVAM SILVADVCENSEM

MIRACVLIS NOBILISSIMAM

R. P. OTHONIS ZYLII

HISTORIA CELEBRATAM

BRVXELLÆ

HONORIFICE EXCEPTAM

PIE CVLTAM

ODE PANEGYRICA

CVM ALLVSIONE AD ILLVD PSALMI CXXXI.

INVENIMVS EAM IN CAMPIS SILVÆ

NEMPE IN CAMPINIÆ SILVA.

BRVXELLA, claræ gloria BELGICAE,
Palæſtra honoris, regia Principum
Cultrix alumnorum, ſuperbas
Purpureo trabeata luxu
Agis quadrigas, tot ſuper inclytas
Sublimis vrbes. Scilicet emines
Inter paludatas profano
Nobilis exuuias honore,

*** Splen-

Splendore ſacro nobilior: tuis
Quando illa terræ Soſpita, Cælitum
Diua Imperatrix, magna Mater
Sponſa Dei, celebratur aris;
Ariſque multis: prodigialibus
Quas dedicarunt aſtra fauoribus,
Quas æuiterno dicet ore
Partheniæ data Fama laudi.
Vnde ad ſtupendas rurſus imagines,
Inuſitatis Effigies venit
Spectata miraclis, nouoque
Condecorat tua templa cultu?
Iò (iuuentus & ſenio grauis
Acclamat ætas) CAMPINIAE in piâ
INVENIMVS SILVA, potentem
Hanc genio meliore Nympham.
Campaniæ tu CAMPINIA æmula,
Non pingui oliuæ diuitis vbere,
Domeſticique fonte Bacchi,
Aut patriæ probitate glebæ;
Aſt in myricis fertilis aridis
Niſu coloni, dum ſteriles agros
Induſtrius ſudor maritat,
Delicias paris, alma nutrix,
Suas Brabantis; exitialia
Rapace quamuis agmina turbine,
Bellique non ſemel furorem, &
Hannibalem tuleris frequentem.

Hîc

Hîc SILVA (fallor: nullus amœnior
Cantatur hortus) Virgineæ virens
Amore Diuæ, intacta fauſtos
SILVADVCIS numerabat annos.
Non huic, odoro viuida murice
Roſeta Pæſti, non violaria
Hyblæa certarint, ſuoſque
Quæ niuibus fouet Ætna flores.
MARIA SILVAM compſerat: hinc decor
Vernus comarum, lætaque frondium
Cælo voluptas editarum,
Relligio Pietaſque puri
Fauente ſolis quas animant face,
Et rore dio. Delicium hinc erat
Hortuſque SILVA. Silua rurſum,
(Plangite deciduos honores)
Vrbs illa, facta eſt ſilua, vbi Martium,
Heu! ſideratas fulmen in arbores
Illiſit hoſtis: ſic bidental
Flebile tota, nemuſque luco
Nunc horret atro. Iure igitur migrans
E ſiluâ in Aulam, maxima ſiderum
Regina, mutauit vetuſtas
Exſilio potiore ſedes:
Nec exſul vſquam eſt. Sed Dominæ lubens
BRVXELLA ſemet ſubdit, & hoſpitæ
Cæleſtis auguſtos adorat
Obſequio famulante vultus:

Et gaudiorum prodiga, Virgini
Gestit dicatos, exstimulantibus
Ad celsa promissis, clientes,
In celebres animare plausus.
Quos antè, docto in puluere, Olympicæ
Virtutis artes, atque Machaonum
Victricis, enarrare magnos
Gnarus OTHO MARIAE triumphos;
Portenta laudum ingentia, posteris
Transscribit annis, & nitidus stylo,
Perenne victuris in æuum
Gesta notat memoranda fastis.
Sic nempe, non iam SILVA, nec vnica
BRVXELLA, tantum contineant decus
Sed orbe declamata toto
DIVA, per Oceani soliqúe
Extrema tendet; quà latet occidens
In parte Titan, quaqúe oriens patet,
Huc ZYLIANAE prouolabit
Remigio properata pennæ.

Pangebat IACOBVS CATERVS
Sacerdos Societatis IESV.

R. P.

R. P. OTHONI ZYLIO
SILVADVCENSIS DIVÆ
MIRACVLA SCRIBENTI.

LIVOR *testis erit; geminas miracula* ZYLI:
Scribere sic de se non nisi DIVA *dedit.*
Seu tibi flamma pia est, mollique innoxia tactu
Æquora suspensis siue moraris aquis;
Siue iubes rigidi mollescere vincula ferri,
Seu facis æratas sponte patere fores;
Seu recreas subitis infirmos viribus artus,
Prodigijs certat pagina quæque suis:
Sic mediâ ventos in tempestate coërces,
Et placidum inuito gurgite sternis iter.
O quoties sua pro tabulis sunt vota natanti,
Cùm ratis insanis victa dehiscit aquis!
O quoties pallens coram latrone viator
Vix, Fer opem Virgo, dicit; & illa tulit!
Ducis & interdum strictos impunè per enses,
Quem circum sitiens sanguinis Ira fremit.
Vidi ego, quod medio ferrum torpebat in ictu,
Virgineâ vires eripiente manu.
Sæpè globum vidi, qui fulmine pulueris actus,
Pectoris in summâ parte pependit iners.
Quin etiam tenues redeunt in corpora vitæ,
Natalemque nouum sæpè cadauer habet.

Vita licet redeat, tamen hanc mors altera tollet:
Quam tu das ZYLI, *vita perennis erit.*
O noua præteritis miracula iungere felix,
Hoc age; DIVA *tuas dirigit ipsa manus.*
Præcessere duces, animosi LIPSIVS *oris,*
Et Phœbi & Charitum par PVTEANVS *amor.*
Nomen erit LIPSI *donec* MONS *stabit* AGVTVS,
Et rapidis HALLAM SENNA *rigabit aquis.*
Et PVTEANVS *erit, duro dum nomine* COLLIS,
At non languentum vocibus ASPER *erit.*
Tu quoque, dum votis ZYLI *tua* DIVA *coletur,*
Doctaque dum viuent scripta, superstes eris.
SILVA *dabit meritos, quamuis mœstissima, plausus;*
Heu SILVA! *heu! nullis flenda satis lacrymis.*
Fas audire fuit, fas & spectare dolentem;
Sit quoque fas luctus, SILVA, *referre tuos.*
Dicebas, memini, Priùs ô à stirpe reuellar,
Quàm vitiet ramos illa Megæra meos.
Vana precor, sæuis victam tenet Hæresis armis,
Perque meas multo sibilat angue comas.
Tristior hic sonus est, quàm Martius antè tumultus:
Audiui; atque iterùm sum mihi visa capi.
Hæc spiris tenet implicitam: vix libera vox est;
Libera vix tacito gutta dolore fluit.
Libertas tamen est, Batauis si creditur. eheu!
Quanto libertas me premit illa iugo!
Impia libertas, arctandaque mille catenis,
Quæ, nisi quà pereant, non sinis ire tuos.

Vnica,

Vnica, te Dominâ, miseris obstructa salutis,
Et centumgeminæ mortis aperta via est.
Libera sic non sim, mihi vix captiua videbor.
Hæresis est luctus causa caputque mei.
Illa necaturi perfundit tabe veneni,
Ætherio solitas rore madere comas.
Ergo ego paullatim stygiâ corrumpar ab aurâ;
Ille mei sensim defluet oris honor:
Qualiter aut gelidis pallens Aquilonibus hortus,
Aut vitio cæli deficit ægra seges.
Pugno quidem contrà; sed Tempus, vt Hæresis, instat,
Et spolium de me quilibet annus habet.
Cumque alios sanet Tempus, minuatque dolores,
Nostra quod augebit vulnera Tempus erit.
Ah! potiùs ferro victor me perde, vel igni:
Sic mihi, si nescis, lenior hostis eris.
Non flebo in cineres verti, bustumque meorum,
Dummodò sit pretium cladis, auita Fides.
Hoc mihi contingat; reddent hæc funera vitam,
Æternosque rogos obruet ille cinis.
At nunc, ô vtinam! (miseris ignoscite votis)
Quàm quod sum, potiùs campus & herba forem!
Vos fletum precibus faciles subscribere DIVI
Hoc date, si mereor clade minore premi.
Erige SILVA *animos. Spes numquam in* VIRGINE *nulla est;*
Spes falli auguriis non solet illa suis.
Respice quo soleat succurrere tempore VIRGO.
Hoc tibi spem, quamuis flebile, tempus alet.

Cùm

OTHONIS ZYLII E SOC. IESV

HISTORIÆ MIRACVLORVM B. MARIÆ SILVADVCENSIS



LIBER PRIMVS

CAPVT PRIMVM.

Multiplicia MARIAE *Virginis in omnes homines, ac præſertim Siluaducenſes, beneficia.*



ARIAM in cælis Reginam eſſe, velut ſidus quoddam, non potentiæ magis, quàm miſericordiæ radiis conſpicuum, partim diuinis oraculis, & ſapientiſſimorum hominum auctoritate, partim gentium ac ſæculorum conſenſu ſatis conſtat. Sed & magnitudo atque varietas beneficiorum, quibus illa humanæ gentis vota ſuperat, Maieſtatem eius, diuinæ proximam, atque vtilitatum noſtrarum mirè prouidam, ignorari minimè ſinunt. Neque enim ſine errore aut pia-

piaculo credi à quoquam poteſt, eam ab omni humanarum rerum procuratione vacare, atque otioſam eſſe, cuius tanta eſt & ad opem calamitoſis offerendum propenſio, & ad repræſentandum facultas, vt ſupplicum deſideria antè occupet quàm admittat: & gratiam beneficij potiùs promittere, quàm rogari; potiùs effundere, quàm donare feſtinet. Hinc melior mortalium pars, quorum doctrina vanitate, conſilium turbis, animus impietate vacuus fuit, cùm profuſis à MARIA muneribus, tamquam ſalutaribus illecebris capti tenerentur, nullum propè illius amandæ colendæque finem fecêre. Ceſſerunt tamen hæc illorum ſtudia liberalitati Virginis, plus, quàm mortalitas capere poterat, largientis. Imò cùm eximia MARIAE erga nos voluntas in incremento ſemper ſit, obſequia noſtra iam in fine ſunt; quibus licet exhauſtis, illius tamen munificentia numquam deficit. Quare etſi cæleſtes honores beneficentiæ plus quàm humanæ reddidimus, tanta nihilominùs eſt meritorum eius in nos copia, vt ne immenſâ quidem votorum noſtrorum auaritiâ, Patronæ vtique clementiſſimæ indulgentiam fatigemus. Verùm in hoc mutuo benemerendi certamine, MARIA ſemper triumphante, ad ipſam victoriæ laus, ad mortales fructus rediit. Et Virgo quidem vulgando ſuppetias ſuas, arcendiſque ab humano genere peſtibus, id effecit, vt nobis hæc ad ſalutem certa ſit via, miſeriâ carere velle. Hæc ſanè publica felicitatis ara omnibus patet: hac ſtante, plura nos remedia,

media, quàm mala circumſtant: hac protegente, nemo exitium, niſi quod amat, incurrit. Quot enim MARIA clades auertit? quas non extinxit faces? quæ non tela à pereuntium iugulis depulit? quos non in mortis limine proſtratos erexit? quot cæcis diem, ſurdis aures, rationem amentibus, mutis ſermonem reſtituit? quoties catenas atque cuſtodias innocentium libertati aperuit? quoties incendia, tempeſtates, & ſæuiorem his omnibus inferorum rabiem, compeſcuit? quoties demum infortunia, & ſtrages vltimas, à capite ac fortunis afflictorum, maturatâ ope, diſiecit? Adeò iam difficile eſt perire, vbi fautrix illa tantam periclitantibus adiumentorum ſuorum copiam ingerit. At verò mortales, quò ſe beneficiarios tantæ Reginæ eſſe oſtenderent, ferè munera pro ſe quiſque, ceu tributum quoddam, & præſtantiorem muneribus venerationem dependere ſtuduerunt: ne tali Præſide, cuius opem documentis ſpe ſuâ maioribus ſenſiſſent, indigni viderentur. Hinc tot dicata Deiparæ templa, tot ſtatuæ, tot aræ: quorum vulgata longè lateque celebritas, teſtatiſſimis miraculis parem famam inuenit. Hinc tot votiuæ tabulæ, tot lychni, tot coronæ, ſimulachra, torques, annuli, veſtes, & immenſa alia omnis generis donariorum vis: quæ tamen ſemper donantium animis Virgo poſthabuit. Ea verò ſiue clementiæ MARIANAE indicia, ſiue humanæ ſpei ac venerationis inuitamenta, non ſunt vnius regionis, aut loci. Quaquauerſum terminos porrigit orbis ter-

ratum, nullum vſquam gentium angulum reperias, qui non huiuſce Reginæ, in cultores ſuos tam effuſæ, tropæum aliquod aut mereatur, aut ferat. Atque vt diſſitas regiones prætercam, vnum Belgium, plus miraculorum MARIA adiutrice patratum vidit, quàm quantum ſcriptores multi litteris perſequi valeant. Remotiſſimis nationibus, non ſolùm Belgis, abundè nota ſunt, quæ Hallis, in Aſpero colle, apud Inſulas, Camberonæ, Grauelingæ, Bruxellæ, Traiecti, Louanij, Brugis, Viluordiæ, aliiſque plurimis locis, quos enumerare nec neceſſariæ, nec paruæ ſit operæ, ſupra omnem naturæ vim Deiparæ precibus hodieque impetrantur. Verùm in Belgio eminere dixeris Siluamducis, ſiue incolarum in MARIAM, ſiue MARIAE in ipſos vetuſto ſtudio. Ex quo enim apud hanc gentem impenſiùs coli cœpta eſt, vix alibi clariora certiſſimi fauoris indicia edidit. Conſtat ſanè, Siluaducenſis Patronæ ope ampliùs centum mortuos vitæ redditos eſſe. Ex quo reliquorum miraculorum numerum (quem vetuſtas alioqui nobis ſubduxit) facilè metietur æſtimantium ratio. Sed illum cæleſtium beneficiorum curſum collapſa, vt in rebus humanis, maiorum pietas, ac deferueſcens propitiandæ Virginis ardor, paulatim inhibuit. Quippe Virgini exhibendæ gratiæ occaſio defuit, cùm deeſſet hominibus promerendæ cura. Inde neglectus obliuionem, obliuio ignorantiam peperit. Noſtrâ verò ætate Siluæducis in animis poſterorum nihil ferè præter emorientem
ſenſim

ſenſim memoriam hærebat. Quo equidem animaduerſo, fugientibus ſaltem clariſſimæ quondam famæ veſtigiis inſiſtere, atque euaneſcenti nobiliſſimorum miraculorum celebritati pro virili conſulere ſtatui. Inuitabat argumenti maieſtas, quâ ingeniorum impetus mirè accenditur. Et quamquam in veſtigando ſalebræ, in ſcribendo terreret labor; credidi tamen, & illas affluente Virginis luce, & hunc eiuſdem ope haud dubiè leuatum iri. Quam meam de optimæ Matris facilitate fiduciam ſummæ eius, in indigos præſertim opis ſuæ, humanitati debeo; non modicis ab eâ, ſecundùm Deum, beneficiis auctus. Sed & ipſius intereſt, nobis opitulando tueri faſtigium honoris ſui; ac beneficentiâ, non ſolùm dignitate, Filio ſimillimam ſentiri. Eâ magis ſpe, quàm domeſticis copiis menſus vires meas, viſus mihi fui in diuulgandâ MARIAE gloriâ, cui me pridem deuoui, ceſſare non poſſe. Exiſtimaui, nihil arduum fore illius opera memoranti, quæ etiam ingratorum felicitatem non rarò procurat. Miracula, extra naturæ fines poſita, credidi non intuentium oculos, ſed rimantium effugere; humani ingenij captum, non fidem excedere; indaginem, non ſtilum auerſari.

Verùm hæc ordienti haudquaquam ſilere licuerit de ipsâ miraculorum ſede, Siluaducis: vnde ad circumiacentes latè populos MARIAE honos tanto ſplendore inclaruit.

CAPVT II.

Siluæducis vrbis situs, atque origo.

BRabanti eam Belgij prouinciam obtinent, in quâ Belgarum ferè Principes Regiam habuêre. Omnis ditio in quatuor præcipuas ciuitates diuiditur; quarum imperio vrbes plurimæ, nec ignobiles, parent. Louanium vetustate & litteris, Bruxella nobilitate & curiâ, Antuerpia mercaturâ & honestis artibus, maximè inclytæ sunt. Siluaducis (quam exteræ nationes ferè Bolducum, nostrates etiam Buscumducis appellant) rebus bello gestis, & celebri in Deum ac Principem fide, nomen sibi ac gloriam addidit. Ea ad Septemtriones vergit, Hollandis iuxtà Geldrisque finitima; nec procul ab iis Brabantiæ locis, quos Taxandriam nuncupatam fuisse à veteribus, magis credo, quàm scio. Accolæ vrbis, à Meridie maximè & Oriente, nunc Campinienses vocantur. Eius gentis indoles, & disciplinæ & fortunæ cuiusuis capax, viros factis artibusque magnos edidit. Regio ericetis vastissimis pænè arida, sed salubris latè circumquaque excurrit, pluribus pagis quàm oppidis frequens. Plerisque locis vix stirpes & humilia virgulta operiunt solum, planicie longum oculorum prospectum concedente. Ingenitam fundo sterilitatem abolet pertinax colonorum labor, vnicum inopiæ remedium. Itaque tellus, naturæ parcimoniâ vix ad tutelam incolentium fertilis, assi-

aſſiduo opere domita, etiam in vbertatem cogitur, ac ſatis opulentâ tenuitate cultores ſuos alit. Ceterùm, vbi nunc eſt Siluaducis, initio nemus fuiſſe traditur, condenſum arboribus, ac manantibus tranquillo curſu riuis amœnum: Principes amore loci adductos, cum delectis amicorum, hunc ſaltum ad agitandas feras frequentaſſe. Inde Siluæducis nomen hæſit: cùm nihil iam minùs quàm ſilua ſit; arboribus inſidiarum metu, atque ad proſpectum latè aperiendum, vndique exciſis. Paulatim ſtructis venantium receptaculis acceſſit finitimorum confluxus: cumq; opportuna commerciis ea ſedes videretur, permixti inter ſe aduenæ ſpeciem futuræ breuî vrbis præbere cœperunt. Creſcebat interim multitudo, non tam viribus quàm opibus: quæ ne vanæ eſſent, adiectis ſubinde munitionibus, licet modicis, firmatæ ſunt. Sed mox Siluaducenſium felicitas in inuidiam vertit, noui conuentus famâ parùm ſecundis animis à vicinis acceptâ; qui ſurgentem iuxta ſe molêm ſibi ac poſteritati ſuæ metuebant. Nimirum ſuis ceruicibus arcem imponi; attolli ſpeculam, vnde Brabantiæ Duces viciniam omnem obſeruent: accidi libertatem, carpi fortunas ſuas, vtilitates auerti: per ſuum exitium Brabantos ad proſperitatem tendere: ne inualeſcant, è veſtigio contrà eundum eſſe; vix gladio futurum opus, imbellem turbam ne conſpectum quidem armatorum laturam; prædam fore, non pugnam, ab inconditâ multitudine, eademque opulentâ: ſerò hoſtem premi, cùm timeri

po-

poteſt. Ergo irâ & cupiditate ſtimulante animos, velut exciti claſſico Huſdani, coactâ raptim manu, hoſtiliter in Siluaducenſium fines incurſionem faciunt. Primo impetu, vt improuiſo, direpta omnia; fuſi conuenæ, fugatique; rapinis, cæde, incendio vaſtatus locus. Neque tamen his cladibus ceciderant animi. Namque haud longis inde temporibus, nouas denuò placuit moliri ſedes. Quod impigrè factitatum, etiam telis ad defendendam hoſtium vim inter operas expeditis: donec, coërcitâ Hollandorum Geldrorumque incurſantium audaciâ, Godefridum tertium Ducem cupido cepit, vrbis in iis ditionis ſuæ limitibus condendæ. Huic enim auctori verior fama bellatricis iam tum vrbis originem adſcribit. Annus poſt
M. C. LXXXIV. CHRISTVM natum centeſimus octogeſimus quartus ſupra milleſimum principia fundatæ vrbis aperuit. Et quamquam affluentem vndique multitudinem eò non ſolùm ſpes lucri inuitabat; ſed etiam opportunitas commercij, Campiniam, Geldriam, Hollandiam, Leodium, reſpicientis; Principi tamen altius conſilium fuit. Spectabat idoneum in paucis locum, vnde Brabanti aut ſuis finibus, ſi quæ vis ingrueret, exteros prohibere, aut ipſi in hoſtium finibus bellum gerere, & imperium promouere poſſent. Iam, ſi tributa finitimis bellum agitantibus imponenda, ſi conatus eorum explorandi, ſi occupandi forent; ſi Moſa, ſi Vahalis, flumina infeſtanda; non tutior, quàm opportunior ſtatio futura erat. Nam & pari ferè ſpatio Hol-
lan-

landiâ Geldriâque distat, &, hiberno præsertim tempore, omni ex parte cingitur fluctibus, speciem insulæ præbens. Tum quippe modicis alioqui alueis flumina Aada ac Dommela, super ripas effusa lenibus stagnis, nec adiri vsquam mœnia sinunt; & vbi intra alueos retulêre sese, refudantibus aquarum venis, multoque diffuso limo, circumquaque molle & humidum relinquunt solum. Mosa quoque in fauces Disi amnis, qui vrbem maximè interſecat, sæpè restagnans, & consueto aquæ fastigio superfusus, non modò inaccessa mœnia, sed intra vrbem plateas etiam quandoque imperuias facit. Hoc situ propè inexpugnabilis ciuitas, magis tamen ciuium pectoribus quàm mœnibus inuicta perstitit. Itaque Brabantiæ claustrum non minùs scitè quàm verè fama appellat.

CAPVT III.

Loci gentisque indoles: aliquid de rebus bello gestis.

CEterùm ager, quà maximè ad Mosam pertinet, frugum fertilis: campestria ad solis ortum & meridiem pecori meliora. Inde vber lanæ copia, mellisque ac ceræ prouentus, & linum aliunde importatum, non exiguam opificum occupant manum. Neque alibi meliores diluendis dealbandisque pannis aquas occulto beneficio natura effundit. Porrò vrbs plura ferè, quàm pro mœnium ambitu, Monasteria complectitur; haud dubiam suæ in pietatem omnem

B pro-

propensionis ac beneficentiæ faciens fidem. His tot Cœnobitis anno CHRISTI nati M. D. LXI. prægnante in Belgio hæresi, Episcopi adiuncti sunt; quorum scitis publica priuataq; sacra subiecta; quorum doctrinæ ac fidei popularium credita salus: nequid auitæ pietatis, euertendo pristinos ritus, nouosque adsciscendo, turbaretur. Eos Episcopos Princeps legit: Romani Pontifices auctores fiunt. Ceterùm Siluæducis ædificiorum maior vsus, quàm splendor, mediocritatem domi caram, etiam foris ostendit. Genus hominum vegeto ad animi obsequia corpore; multiplice industriâ. Paci ac bello habiles, sine discrimine militiam aut agriculturam exercent, laborum vtriusque patientes. Equitésne an pedites promptiùs dimicent, ambiguum habeo. Commerciorum quoque ac litterarum perinde auida indoles, ab otio abhorret. Ita genitam, ita educatam iuuentutem, aut litterarius ludus famâ inclytus, aut deinceps egregiæ bello cohortes excipiunt. Neque pauci apud exteros mercaturæ dant operam. Ab his opes, ab illis etiam gloria patriæ obuenit. Ad litterarum porrò studia sedulitatem atque constantiam adhibent, optima doctrinæ capessendæ adiumenta. Scientiarum arcana vt gnauiter penetrant; ita, cùm didicêre, feliciter retinent. Hinc ciues permultos memorant eruditionis ac sapientiæ famâ præstantes. Vniuersè autem externis hospitales sunt, egentibus benigni, neque minùs seduli, quàm frugales: ad hæc in hostem intrepidi, fidei in Princi-

pem

pem ac Deum æquè ac libertatis tenaces. His naturæ ac disciplinæ præsidiis inde à primordio breuî eorum res adoleuit, armorum ac Religionis gloriâ pari. Atque vt superiorum tempestatum bella cum Geldris Hollandisque prætercam, quibus, inter assidua finitimorum arma, sui quoque terrorem fecerunt; Caluiniani certè ciues anno superioris sæculi LXXIX. cruentâ dimicatione cum omni stirpe exacti; ac deinceps Philippus Hollakius Comes, sexto ferè pòst anno, pleno agmine ad vrbis pænè forum progressus, inde cum non minore suorum clade, quàm periculo suo pulsus fugatusque, inueteratæ Siluaducensium fortitudinis documenta sunt. Nostrâ quoque memoriâ non quotidianas tantummodò Batauorum insidias, verùm etiam duplicem obsessionem, alteram primo, alteram tertio huius sæculi anno, memorabili ad posteros constantiâ, fregerunt. Ita apud eos Religio, difficillimis Reip. temporibus, sancta & illæsa permansit. M. D. LXXXV. XIX. *Ianuar.*

CAPVT IV.

B. MARIAE *statua in templum illata, coli incipit.*

ATque hæc quidem Siluaducensium fortitudo, ceteraque humana præsidia, periclitanti idemtidem ciuitati, magis opportuna quàm firma erant; ni sæpè adfuisset diuinæ opis virtus, humanæ tutelæ excedens modum. Virgini certè Deiparæ res Siluaducensis inprimis curæ fuit. Illa ad annum vsque

B 2 CHRI-

CHRISTI M. DC. XXIX. hanc vrbem, velut patrimonium ſuum, ex omni fortunæ ſæuitiâ eripuit: illa ciuium piiſſimorum ſalutem tutata eſt: illa circumiacentium populorum ærumnas ex hac arce ſuâ non modò reſpexit, vt Præſes; ſed curauit, vt Parens. Cuius patrocinij ac beneficentiæ origo nobis paullò altiùs arceſſenda eſt. Templum eſt Siluæducis ſtructurâ ſpectabili, inter ceteras totius Belgij ſacras ædes facilè eminens. Ingentis operis moles venuſtatem artificio parem oſtentat, ac tum vrbi magnificentiam conciliat, tum externorum oculos ad ſpectaculum elicit. Vniuerſa Baſilica cælatis egregiè operibus miraculo eſt. Intus gemini columnarum aſſurgunt ordines, altitudine numeroq́ue concinno, magnificam arcuum ac feneſtrarum ſeriem ſuſtinentes. Illis fornices quoque incumbunt, velut operi tam eximio corona reſpondens. Extrinſecus feneſtras ſingulæ alæ diſtinguunt, ſimul tecto, ſimul fornicibus continendis interiectæ. Has alas & ſigilla venuſtè ſculpta adornant, & ambulatio è ſecto lapide circumuenit, faſciam ſatis elatam, ac ramoſis flexibus demiſſius tectum cingentem, prætendens. Ad ſtructuram tam nobilem, ingentis prætereà ſeu artis ſeu pretij ornamenta, Siluaducenſium liberalitas adiecit. Organum muſicum, laudatiſſimorum artificum manu perpolitum, cælatis perbellè receptaculis valuiſq́ue includitur. Fiſtulæ magnitudine, & copiâ pari, exceptam leniter animam in modulos colligunt, quos diſcordi ſonorum concentu

centu temperatos diffundunt. Itaque præstantissimi operis pulchritudo non oculos modò, sed etiam omnium aures in semet haud immeritò conuertit. D. Ioannis Euangelistæ statua, & circumferendæ Eucharistiæ theca prægrandis, ex argento vtraque, inter mirabilia quoque numerantur. Cetera templi decora, nec pauca vtique nec spernenda enumerare, longioris sit moræ. Porrò anno post CHRISTVM natum M. CC. XXC. conditam ædem accepimus, & siue Deiparæ, siue (quando Auctores variant) D. Ioanni Euangelistæ potiùs dedicatam. Nunc templum Euangelistæ nomen, ædiculæ inibi duæ MARIAE Matris titulum præferunt. Harum altera, versus Occidentem, turri subditur: altera summi Chori ambitum, Septemtrionem versus, eleganti ornatu claudit. Illam statua tot fecunda miraculis nobilitat: hæc B. MARIAE Sodalitatem complectitur, simul instituti vetustate, simul Sodalium splendore memorabilem. Complures ex immenso donariorum numero, quæ Virgini dicata fuerint, creuisse prima templi initia autumant. Quæ fama mihi constantior semper, quàm verior visa est: præsertim, cùm longo annorum centum, vt mox dicturi sumus, post templum ædificatum interuallo, imaginem è latebris ac situ eductam, prodigiis nobilitari cœpisse constet. Ad hoc vetustâ manu exarati codices, è quibus hæc transcripsimus, non semel docent, simulacrum Virginis, etiam primis miraculorum increbrescentium temporibus, in D. Ioannis

Basilicâ, ceu in domicilio, vtique iam pridem antè constituto, cultum fuisse. Neque tamen prorsus à vero abit eorum opinio, qui ex oblatis Virgini donis, manasse tantas opes credunt, quæ tam augustæ moli adornandæ suffecerint. Cùm enim salutis nostræ anno XIX. supra M. CCCC. coortus esset in Hintamensem vicum vehementissimus ignis, præter ædificia priuata complura, etiam hoc fanum, modici tum splendoris, eo incendio comprehensum, defendi non potuit. Conflagrauit igitur ædes, optandâ clade, vt mox pulchrior resurgeret; & ignobilem vetustatis squallorem exuit, vt illustriore deinceps ornatu, ceu aurum igni excoctum, duraret. Atque in hanc secundam renascentis ædis exstructionem Deipara, ex destinatis sibi opibus, ditem gazam effudit. Inde fluxit multorum error, qui simpliciter templum è sacelli opulentiâ natum asserunt; eius primùm constructi, ac deinde reædificati tempora haudquaquam distinguentes. Quare, etsi non desunt, qui miraculorum Siluaducensium primordia anno CHRISTI millesimo trecentesimo atque octogesimo vetustiora existimant, non possum tamen in illorum transire sententiam. Meæ enim opinationis manuscriptos codices complures, in hunc annum omnes conspirantes, auctores habeo: illi nullos, quos equidem viderim, adhuc producunt. Meum tempus tum monumenta vetera, tum patrium hac de re carmen, tum commentarij antiqui stabiliunt, quorum non exempla

modò

modò inſpexi, ſed aſſeruo. Aduerſæ ſententiæ auctoribus quid concedere debeam, vbi prodierint, expendendum erit. Ceterùm in ſubiecto turri ſacello ara exſurgit, ligneam Deiparæ ſtatuam tot miraculis fulgentem excipiens. Infernè cancelli æneí, ſigillis ſcitè factis diſtincti, aram includunt, opere viſendo. Statua ipſa quatuor pedum altitudinem vix attingit. De eius primordiis hæc à veteribus conſcripta, longo iuxtà multoque labore conquiſita, didicimus. Haud procul ſummâ æde, publicum eſt opificum receptaculum, vbi fabriles operæ miniſteria ſua curant. Inibi machinæ, ſaxa, omniſque materies, ſtruendæ inſtaurandæve ædi idonea ſeruantur. Lapicida hunc locum M. ccc. ingreſſus, fortè iacentem humi Deiparæ ſtatuam con- LXXX. ſpicit, ſitu deformem. Ille, vt ignarum vulgus ſpecie magis, quàm pretio, diuina metitur, ferrum corripit (adeò religio omnis animo exceſſerat) vt diſſecto in fruſta ſimulacro ignem exſtruat. Sed quem reuerentia Virginis ab audaci cœpto non reuocat, eum opportunè ſuperuenientis architecti increpatio, tam fœdè Virgineum ſignum temerari vetantis, abſterret. Hinc ſanior homini iniecta mens eſt, impietatis in Virginem admiſſæ nouâ veneratione reſarciendæ. Ergo ſanctioris hebdomadæ quinto die, quando variæ Diuorum effigies ad templi ornatum comportabantur, idem opifex, ſpreto paullò antè ſimulacro honorem redditurus, id cum ceteris in templo permiſcet. Verùm cuſtodes ſqualentem imaginis formam aſper-

aſpernati, eam loco excludunt. Poſtero die, cùm ſimulacra ſuis quæque ſedibus redderentur, vnam Virginis ſtatuam retulit nemo. Enimuerò id Valerio, Religioſo viro, nefas viſum. Itaque nihil moratus, in D. Michaëlis aram ſimulacrum extollit, ſibique à Theodoro Loetio æditu donari poſtulat. Haud grauatè conceditur. Poſt aliquot inde menſes, circiter Purificatæ Virgini ſacrum diem, anno poſt CHRISTI
M. CCC. LXXXI. natalem M. CCC. LXXXI. cùm ſuæ iam ſtatuæ domum auferendæ cauſsâ rediiſſet ad templum Valerius, eam leuare aggreſſus, tantum ineſſe pondus ſenſit, vt nequiret attollere. Ita inter initia celebrandæ huius imaginis prodidiſſe ſe numen, ad indicandam futuræ claritatis magnitudinem, creditur. Et verò tam ſalubre populorum præſidium, cultui publico, non modò priuatæ vnius Cœnobitæ pietati deſtinabatur. Hinc igitur ad B. MARIAE ſacellum, quod ad Septemtriones vergit, ac ſuperius vocant, transfertur; debito tamen honore nondum obtento. Deinceps ſub Pentecoſten ſacello iſti ornando intentus pictor, à Valerio rogatur, vti Virgineam iconem ne præteriret. Negat ille rem tanti eſſe, vt pretium operæ futurum ſit. A pictoris tamen filio vilioribus pigmentis adſperſa, ab aliis etiam loco mota, in lucem ac celebritatem nondum euadit. Sic ad vnum Valerium rediit vniuerſa ornandæ aliquando ſtatuæ cura. Ac tum quidem peropportunè illi veſtis dono data eſt, ad explicandam Virgini chlamydem; vt primum, ita haud

haud dubiè pergratum Deiparæ munus. Cumque Oda, nobilis femina, quæ aptandæ vesti operam addixerat, tardiùs, quàm pro feruidi hominis voto, pallium absolueret; Valerius ipse moræ impatiens, occupat femineum opus, & maiore festinatione quàm peritiâ conficit. Infantis deinde IESV effigies, quæ propè etiam perierat, maternæ addita est. Hinc vtraque altari D. Martini imponitur; mox contemptum sui demptura mortalibus. Equidem mulieres duæ, adhuc rudem imaginis cultum eludentes, iniectis diuinitus terroribus vexatæ sunt. Quippe alteram noctu visa Deipara corripuit; alterius sanitas repentino XIV. dierum morbo afflicta est. Quibus rebus admonitæ, versâ in religionem impietate, etiam nummos quà ornandæ quà placandæ Virgini obtulerunt. Ita illis pax, Virgini honos sancitus est; Siluaducensibus verò hoc miraculorum initium, quasi progressuræ apud ipsos beneficentiæ MARIANAE pignus datum. M. CCC. LXXXI.

CAPVT V.

Paralytica mulier, cælesti monitu imaginem B. MARIAE *Siluaducensis venerata, sanatur. Imago locum tandem certum obtinet.*

EXinde, velut iam apertâ exundantis misericordiæ scatebrâ, perennes miraculorum fontes mortalibus patere cœperunt; auiditati ac multitudini haurientium pares riuos daturi. Prima iucundissimum cæ-

M. CCC. LXXXI. lestis liberalitatis fructum Henrici Vichteni filia Hedwigis, Ioanni Timmermanno nupta, cepit. Hanc perempto cruris sensu motuq; paralysis longa afflixerat, in tres ferè annos protractum malum. *Septemb.* September mensis anni post CHRISTVM natum M.CCC.LXXXI. nouã ei salutis aperuit viam. Intempesta nox erat, cùm illa cælesti viso inhonoræ ad illam ferè diem imaginis primum decus exordiri iussa est. Adstare cubanti visus, insigni vir ore spectabilis, humanâ specie augustior, Maiestatem vtique diuinam præferens. Talaris tunica colore habituque Nazarenæ seruatoris CHRISTI vesti similis erat. Is blandè Hedwigim appellans, Velítne sanari, interrogat. Cùm læta affirmasset; Abi, inquit, in D. Ioannis ædem, & cereum cruris, quantum volueris, sigillum obscuro adhuc Dei parentis simulacro appende. Hoc certum recuperandæ sanitatis pretium. Hedwigis tam gratâ pollicitatione ad spem salutis erecta, vtcumque potuit, superatâ morbi molestiâ, ad templum euasit. Verùm ita resoluti torpebant artus, vt ne cereum quidem munus valeret affigere destinato loco. Ergo interuenientis cuiusdam viri adhibitâ ope, è pariete iuxta statuam donum suspenditur; moxque iners mulieris corpus vigori pristino redditum, ipsam immenso gaudio, familiares admiratione non minore compleuit. Neque debitas Deo Virginique laudes Hedwigis omisit. Ac vulgata sermonibus tam noua, tam iucunda res, facilè propensis ad religionem animis sollicitudinem iniecit imagi-

imaginis honorandæ. Præcipuè Oda, cuius antè me- M. CCC.
minimus, cum nonnullis aliis conquiſito ſumptu effe- LXXXI.
cit, vt ſtatua denuò pigmentis elegantioribus illu-
ſtraretur. Quod ſimul perfectum eſt, non iam ad
aram D. Martini, vbi hactenus ſteterat; ſed ad Dei-
paræ ædiculam, quæ inferior appellatur, Baptiſterio
propinquam, ac turri ſubditam, vbi ad hanc ætatem
perſtitit, imago relata eſt; eodem M. CCC. LXXXI.
quem ſuprà indicauimus, anno. Ac deinceps paulla-
tim (nam de tempore nihil comperi) alius etiam ho-
nos MARIAE, ex certâ iam ſede opem ſuam propa-
ganti, acceſſit. Nam DVLCIS, ſeu DVLCISSIMA paſ-
ſim Siluaducenſis Diua appellari cœpta eſt. Quod no-
men vti illo in loco nouum erat; ita vel ad indican-
dam optimæ Matris ſuauitatem, vel ad conciliandum
populi amorem, maximè valuit. Atque eâ nuncupa-
tione velut capta Deipara, ne gratuitum ferret hoc no-
men, longè magis etiam Dulcis eſſe, quàm dici ſtu-
duit; & continenti beneficiorum multiplicatione pro-
bauit mortalibus indolem ſuam, quouis arundinis In-
dicæ ſucco dulciorem. Ita ab his, quæ memoraui-
mus, initiis cæleſtis planè theſaurus, longeque nobi-
liſſimum ciuitatis huius ornamentum, Siluaducenſi-
bus obtigit. Cuius beneficij magnitudinem mereri
viſus eſt piorum ciuium, aut numquam, aut ſemper
nouus in MARIAM amor.

CAPVT VI.

Eadem mulier graui dentium dolore leuatur.

M. CCC. LXXXI. PОrrò Hedwigis, quam nuper deguſtarat fautricis MARIAE miſericordiam, eiuſdem fructus denuò afflicta relegere ſtatuit. Dentibus dolor inſederat; acerbius quàm periculoſius malum, nec vllam quietis partem laboranti relinquens. Noctu dolore feſſa, cùm ſomno pauliſper acquieſceret, per quietem vidit cæleſtium Reginam, pulchritudine ac ſplendore iuxtà mirandis, aſtantem ſibi. Nec vanum fuiſſe ſomnium, Deiparæ ſermo, non ſolùm præſentia teſtata eſt. Exſurge, inquit, atque in ædiculâ meâ, quæ ſacro Baptiſmi lauacro adiacet, imaginem meam venerata, quot dentes numeras, toties Dominicæ precationis carmen recita. Tu modò animum mihi fiduciæ plenum adhibe; & cuius beneuolentiam agnoſcis, virtutem ſenties. Mulier primo diluculo præſcriptas ante Virginis ſtatuam preces decurrit; & cruciatu mox leuata, duplicem Patronæ optimæ fauorem, repetitis largiter gratiis laudibuſque, penſauit.

CAPVT VII.

Iuuenis aquarum periculo eripitur. Incendium ſopitur.

INde mox etiam ad aquas potentiam ſuam Virgo protulit. Nam iuuenis aquandi cauſſâ in profluentem

tem

tem equo vectus, atque in vndas delapsus, vbi supremum sibi discrimen adesse sensit, voto Deiparæ facto euasit incolumis. Multitudo spectantium celebrauit miraculum: ereptus quoque leto iuuenis, votiuo munere ad Seruatricis suæ imaginem delato, beneficij memoriam consecrauit. Neq; magis vndæ, quàm flammæ, MARIAE imperio obnoxiæ sunt. quod Siluæducis quoque inter ipsa miraculorum primordia compertum est; Deiparâ in mediis aduersantium elementorum furoribus supplices suos tutante. Domus erat, incendio intus flagrans: subsidio fuêre mulieris incolentis preces. Hæc quippe obnixè Diuam precata, nequid sibi, nequid viciniæ detrimento esset, ceream quoque domunculam se Virgini dedicaturam ingeminat. Eâ precatione, velut frigidâ multâ superfusâ, conquiescens flamma subsedit; illæsâ, non modò domo, sed omni viciniâ. Mulier voti rea, ceream seruatæ domus effigiem, miraculi indicium, de Virginis arâ suspendit. M. CCC. LXXXI.

CAPVT VIII.

Imaginis suæ contemptum Deipara vindicat.

HIs rebus celeriter crescens tam prompti à Virgine subsidij fama, mirum, quantum Siluaducensibus omnibus vel fiduciæ vel religionis adiecerit. Itaque magni concursus fieri cœpti, talem vrbis suæ Præsidem præcipuo honore colentium. Quæ incola-



M. CCC. LXXXI. rum ſtudia dum magis magiſque exemplis mutuis exardeſcunt; neſcio quâ rabie inſtincta mulier ſe piam in turbam immittens, vniuerſos, qui tum fortè ad ſacellum ſupplicaturi confluxerant, immani vecordiâ turbauit. Nimirum ignobilem eſſe illam imaginem, tantâque populi veneratione indignam, inſanè proclamat. Maritum ſuum haud difficulter ſculpturum, cui deformis hæc ſtatua cedere debeat. Deſipere populum, ſtatuæ contemnendæ cultorem. Fortè plura agitantem animo, ſine morâ, cæleſtis vindicta corripuit. Nam derepentè inter aſtantes collapſa, animo linqui cœpit. Cumque mortuæ ſimilis videretur, à proximis in ferculum impoſita, ac raptim domum ſuam deportata eſt. Neque celerius, quàm grauius id ſupplicium fuit. Intra breue ſpatium mulier infelix exſtinguitur; publico mortalibus documento, ne poſthac cuiuſquam furioſa temeritas ipſam clementiam ſibi cogat iraſci.

CAPVT IX.

Mulier à Dei Matre edocta, furem in ſcelere deprehendit.

RECentis exempli memoriam breuî alius terror, ſed miſericordiâ temperatus excepit. Fur quidam refractam per tenebras domum ingreſſus, patefacto iam armario ſubducebat prædam. Mulier præcipuo in Deiparam ſtudio quieti dederat ſeſe, omnis ignara

ignara periculi. Sed pro cultoribus suis excubat vigilans MARIAE sollicitæ cura. Quippe, cùm arctiore M. CCC. LXXXI. iam somno teneretur femina, & fur silentio cœptis insisteret, in quiete à muliere visa fuit augusta Dei Matris species, etiam atque etiam monentis, exiliret strato, ac furem in alterâ domus parte rebus imminentem suis arceret intrepidè. Illa plus, quàm pro sexu, ausa, Virgine animum firmante, raptim adhibet lumen, atque ad indicatum prouolat locum. Ibi fur, conuasatâ plurimâ veste, stetit attonitus, ac velut ictus occultâ vi. Femina, tutamento cælesti munita, etiam seuerè miserum increpat, & vix hiscere audentem: tantus terror incesserat. Inde, vt sese ex subitâ consternatione colligere potuit, iam supplex fur obsecrat, veniam tribuat, seque è portâ missum faciat. Quod cùm non impetraret, quà in domum irruperat, eiicere sese coactus est. Mulier, nullo accepto damno, tutissimam Deiparæ custodiam celebrauit.

CAPVT X.

Imago B. MARIAE *incendio eximitur.*

ALienam rem tutata Virgo, negligere non debuit suam. Ab improuiso incendio periculum non modicum fuit. Fortè ædicula tota flammis, incertum vnde ortis, correpta, triste primùm superuenientibus spectaculum præbuit. Inde secuta trepidatio & clamor plures ad ferendam opem exciuit. Interim proxi-

M. CCC. LXXXI. ma quæque imagini ſacræ infeſto igne cremabantur. Iam aliæ Diuorum ſtatuæ, iam Virginis ferculum ac ſedes, iam pallium eiuſdem, conflagrauerant. Cetera, vt propiora erant, afflatu vaporis ambuſta. Tum, à promptioribus quibuſdam ſtatua, cui vni flamma pepercerat, erepta rogo, atque ſeruata eſt. Qui ſubduxerant, è veſtigio ad pictorem deferunt, inſigniendam ornatu nouo. Intereà volitans de abſumptâ imagine rumor, ingenti conſternatione ac luctu vrbem compleuit. Gemitu eiulatuque miſerabili perſonant omnia, ſuam tutelam, ſpes ſuas, ſuum ſolatium abeſſe querentium. Verùm vbi euanuit temerè ortus rumor, certique auctores attulerunt, ſuperſtitem incendio imaginem nouis coloribus decorari; tum verò incredibili gaudio multitudo effuſa, nullum gratandi inuicem finem fecit. Ceterùm, reſtincto iam incendio, ſupplicationem ad reponendam in ſuum locum ſtatuam indicere placuit. Ergo refecta ſupra priſtinum cultum imago, quantâ maximâ tum potuit pompâ, vniuerſis proſequendi ſtudio concurrentibus, ſedi ſuæ reſtituta eſt.

CAPVT XI.

Cæca mulier viſum recipit: captiuus vinculis liberatur.

HInc propagata miraculorum fama, non ad incolas modò, ſed in finitimis quoque regionibus ad exteras gentes valuit: nec celebritas ſolùm ad eas, ſed

ſed vtilitas etiam ſe extendit. Bommeliæ erat Eliſabetha totum annum oculis capta. Hanc ipſa miſericordiæ Mater admonuit, vt Siluamducis profecta, ibi leuamen mali ſupplex flagitet. Neque cunctanter paruit mulier, ac, recuperato mox viſu, ſine duce in Geldriam rediit. Sed & remotioribus Brabantis iam tum Siluaducenſem Diuam aperuiſſe beneficia ſua, Ioannes Vandenberghius Bruxellanus argumento eſt. Is D. Willibrordo ſacrâ luce Siluaducenſi MARIAE cereas compedes obtulit, libertatis acceptæ teſtes. Per id enim tempus inter Brabantos ac Flandros bellum erat: in quo Ioannes pro ſpeculatore captus Teneramundæ cuſtodiebatur. Anxio curis multis Deipara aſtitit, ac Siluamducis, ad imaginem ſuam miraculis iam clareſcentem, cum votiuo dono tendere iubet: omnia ad libertatem prona fore. Perculſus primùm cæleſti ſpectaculo Ioannes, vbi ſpatium ad ſe redeundi habuit, ſoluta vincula defluxiſſe comperit. Nec quidquam prætereà fuit, quod fugam eius moraretur. Itaque libertatem occupat, ac Siluamducis mox ire pergit, voluntate ſummâ, quam poſſet gratiam, liberatrici redditurus.

M. CCC. LXXXI.

IX. Nou.

CAPVT XII.

Nautæ quatuor & quadraginta triduanâ tempeſtate defunguntur.

M. CCC. LXXXII.

ADhuc ferè ſingula ſingulis, nunc vnum pluribus miraculum obuenit. Soluerunt è Liuoniâ nautici

VIII. Nouemb.

M. CCC. LXXXII. quatuor & quadraginta, onerariam nouam vario pellium genere grauem agentes: vt plenis in altum velis iuêre, mutata repentè cæli facies haud vanas imminentis periculi minas edidit. Velut ad prælium obluctantes imbribus venti exsurgunt, spissâ admodum nebulâ vtrisque perfusâ. Nec respirandi locum tempestas dedit, quamuis enixè renitentibus nautis: sed incrementis frequentibus sese instaurans, tantum aquæ in nauigium immisit, quantum nullâ diligentiâ ac celeritate exhauriri posset. Ipsum carinæ alueum sic vndæ impleuerant, vt viri quantumuis proceri verticem altitudine superarent. Ad triduum protractus insani maris furor, nullam euadendi spem reliquerat; affirmantibus præsertim senioribus, multâ quadraginta aut etiam quinquaginta annorum nauigatione, nullam ipsis procellam fœdiorem, nullum præsentius exitium adfuisse. Ac nihilominùs, cùm tantâ loci ac rerum iniquitate premerentur, ausi sunt animos ad salutem sperandam attollere. Nam velut diuinitus iniectâ cunctorum mentibus Siluaducensium memoriâ miraculorum, vnanimi voce cælestem maris Dominam sibi propitiant, tot fluctuantium anchoram, tot naufragorum portum. Quâ inuocatione, quamquam extremis in rebus, tantum, pulso timore, animis robur accessit, vt, maiore religionis fiduciâ, quàm discriminis curâ, sortitò de sociis vnum caperent, qui acceptum ab vnoquoque munus, velut omniũ legatus, Siluamducis deferret. Ea sors Godscal-

cum

cum Redeghiſum petiit, Beſoudâ oriundum, ac tum Liuoniæ incolam. Sortitionem quoque tanta tranquillitas momento ſubſecuta eſt, vt cunctis admiratione gaudioque defixis, niteret cælum, ſilerent æquora, & venti iam placidiſſimi ſecuris nauigantium deſideriis obſecundarent. Ergo velis in Meridiem datis, diuini Numinis MARIAEque Virginis erga ſe benignitatem lætiſſimis laudum præconiis celebrantes, Wiſmariæ portum ſubeunt, expoſitoque in terram Godſcalco, eius fidei, votiuum auri argentique numerum, & Siluaducenſem profectionem committunt. Ille nullâ interpoſitâ cunctatione maturat iter; & ſextâ poſt periculum hebdomadâ oblatis, omnium vice, muneribus, voto ſemet ipſoſque abſoluit. Id quod Arnoldus Hontius, Siluaducenſis Canonicus, traditâ Godſcalco ſyngraphâ teſtatus eſt. M. CCC. LXXXXI.

CAPVT XIII.

Cuiuſdam viri crus, fiſtulis plenum, ſanatur.

AD propiora reuertamur. Dordraci Maio menſe Ioannes Vlemingus pannitonſor ancipiti calamitate affectus eſt. Quippe tabula ex altiore loco in ſiniſtram eius tibiam fortè delapſa, haud ſanè leue ei vulnus impreſſit. Adhibentur Medici: ſed ab iis acceptum nihil præter incrementum doloris, quem ad octo vlcera, perpetuo tabo fluentia, ciebant. Pertinacia mali inſpectantibus pro officio amicis curam iniecerat, XII. Nouemb.

M. CCC. LXXXII. cerat, ne in ignem ſacrum ea noxa verteretur. Cumque ad quintum iam menſem ingraueſceret vitium, ipſis remediis exaſperatum, omnibus viſum fuit, amputandâ tibiâ reliquo corpori conſulendum eſſe. Eâ denuntiatione haud ſecùs, quàm par erat, motus Vlemingus, cùm dudum triſti cogitatione iactatus eſſet, eam tandem in Siluaducenſis Virginis patrocinio defixit: hinc ſibi medicinam, hinc ſalutem petendam eſſe. Ergo omiſsâ omni aliâ ſpe, iuſsiſque valere Medicis, ſuauiſſimæ conſolationis Matri Siluæducis tibiam ceream offerre conſtituit. Votum plena ſanitas mox excepit, ac Ioannes libenter implendo voto operam dedit.

CAPVT XIV.

Fœdus annorum XXX. *morbus tollitur. Epilepſia infantem deſerit.*

XII. *Nou.* VT veteris morbi diuturnitas ferè curationem reſpuit; ita curatio remedij præſtantiam demonſtrat. Vtrumque Montfortij in Vltraiectinâ ditione Ioannes Vten-winkelius ſartor expertus eſt, totos XXX. annos fœdam vtique protrahens infirmitatem, cuius vocabulum ac ſedem haud grauatè præterit verecunda oratio. Ceterùm inueterata mali vis vt pudore arcebat medentium oculos ac manus, ita cruciatum intendebat afflicto. Iamque proximo ſuperiore quàm ſanaretur autumno, in eum locum iacentis valetudo

letudo deducta erat; vt, animo ritè expiato, salutare morientium viaticum capesseret: tantus aderat discriminis metus. Verùm Ioannes cælesti pabulo non ad mortem obeundam paratior, quàm ad sperandam salutem alacrior factus est. Proinde haud dubius de Siluaducensis Diuæ misericordiâ, quæ semper inuocantibus miseris pateret, eódem selibram ceræ supplice mentis voto destinat. Et ecce decedens de corpore vitium, exauditas à Deiparâ preces fuisse ostendit; atque ab Ioanne promissum breuî repræsentatum est. Sed & matrum pro liberis deprecationi facilè Matrum optimam annuere, Margareta Iacobi Meyeri vxor didicit. Filiolus enim patri cognominis, nondum bimus, caduco morbo penitus liberatus est, simul ac mater, imploratâ Deiparæ ope, sese certum tritici ac vini modum Siluæducis dedicaturam spopondit.

M. CCC. LXXXIX.

XIII. *Nou.*

CAPVT XV.

Vinctus è custodiâ euadit.

IN carcerum quoque penetralia lucis ac solatij radios hæc Aurora immittit, Sole ipso clarior benigniorque. Testis est Godefridus Croysius textor, Ettæ natus in Bredani agri pago. Is Romersualiæ in cauponulâ quadam cum Arnoldo Bruxellano perpotans, exortâ, vt fit inter compotores, rixâ, nullo suo merito pugnis ab Arnoldo cæditur. quâ iniuriâ accensus Godefridi furor, stricto haud segniter cultro, luculen-

XV. *Nou.*

D 3 tam

M. CCC. LXXXII. tam percussori plagam imponit. Idcircò mox comprehensus in custodiam conditur, pedibus trabi insertis, ac ferreo insuper vecte depressis. Tres vltra mensem dies exegerat in hoc squallore ac situ; salutifera deinde cogitatio subiit animum, non minore se fructu, quàm ceteri mortales, Siluaducensis Liberatricis clementiam tentare posse. Quâ persuasione animatus, Ergóne, inquit, dulcissima miserorum auxiliatrix, non respicies hanc meam calamitatem? hæc vincula? hasce angustias? Ergóne optatissimo libertatis fructu diutiùs carebo, & criminis tam improuisò admissi, tam acerbas, tam prolixas expendam pœnas? Et tu Domina, non efficies, vt ex meę depulsione miseriæ augeatur celebritas honoris tui? Redde, redde captiuo lucem, oppresso spiritum, lætitiam afflicto. Prima libertatis vestigia imprimam liminibus tuis; beneficium profitebor amictu lineo: argenteus nummus, tuæ dicatus aræ, testis erit magis grati animi mei, quàm index opulentiæ. Precationis huiusce finis Godefrido initium soporis fuit; quo leuiter obdormiscens, admirabili viso recreatus est. Nam Regina cælestis, Maiestatis suæ splendorem benignâ vultus comitate temperans, torpenti adsistere visa est, eumque hac voce ad capessendam libertatem accendere: Age, surge, & apertâ ad salutem fugâ vtere; quæ fugiendi consilium dedit, eadem euadendi securitatem præstabit. Experrectus nuntio tam desiderato Godefridus, non somni ludibrium, sed oraculum veritatis agnouit; rebus

rebus omnibus ſtupendum in modum reſpondenti- M. CCC.
bus promiſſioni cæleſti. Nam & pedicas cippus ſuâ LXXXII.
ſponte laxauerat, & à tibiis ferri onus excuſſum iacebat humi; nullâ adhibitâ vi, nullâ ope aut miniſterio humano. Igitur ſoluto iam, pedibus incedere licuit; & primo diluculo, quod quintum efferebat hebdomadæ diem, occultare fugam. Tum verò miraculi magnitudo etiam magis enituit. Quippe locus in quem demiſſus erat Godefridus, parietibus vndique muniebatur. inde nitenti effugere deni vtrimque ſcalarum gradus peruadendi erant: quos cùm raptim captiuus aſcendiſſet, fores quoque, amoto præter morem repagulo, patentes reperit. Exinde rurſum deſcendens binas item valuas, aſſiduè, vt in cuſtodiâ publicâ, obſerari ſolitas, apertas fugæ nactus eſt. His diuini fauoris indiciis longè factus alacrior, ad penſilem pontem, quo foſſæ tranſitus coniungitur, feſtinat. Neque hîc quidquam fuit quod abeuntem moraretur. Pons quippe demiſſus ad extremum carceris oſtium viam præbuit. vbi cuſtodes duos ſopore victos ſilentio prætergreſſus, tandem è turri ſeſe proripuit, liberiore fugâ conſulturus ſibi. Interim nouus moræ terror diuinâ prouidentiâ ſuperatus, ſollicitudinem Godefridi in fiduciam vertit. Geminum obſtabat fretum, nullo citra nauigium traiectu. At ecce ſtabant expeditæ inſtructæque in ripâ nauiculæ, quaſi vectorem præſtolantes. Ipſi inſuper nauiculatores, ceteroquin auidiſſima lucri natio, alius poſt alium in cym-

M. CCC. LXXXII. cymbas Godefridum recipiunt, ac gratuitò in aduersam ripam exponunt. Ille toties sese libertatem recuperasse ratus, quot nouæ morarum species occurrerant, nunc demum extra metum omnem positus, omniumque præterquam voti immemor, ante octauum diem Siluamducis deuolat; gratiisque Virgini impensè actis, ac dono pro copiolis dedicato, iuratus apud complures tum Sacerdotes, tum æd ituos, euentus tam admirandi seriem enarrauit.

CAPVT XVI.

Cruris vitium periculosum abigitur.

XIIX. Nouemb. ILle quidem carcere; verùm Hermannus Domius Goudanus, is de quo deinceps traditurus sum, morbo vinctus fuit. Quadam enim nocte pes eius enatâ subitò vesiculâ nonnihil inflatus, cùm pro rei leuitate negligeretur, modico subinde attritu laceratus est. Hinc ingens tumor vehementi cruciatu mistus sequitur, æquè nocte infestus vt die. Diligens quoque Medicorum sedulitas exasperauit malum; sacro igne curationem intercidente. Sic à viris destituto mulier spem ostentare ausa, iam emortuæ carnis frustum exsecuit, profectu nullo. Demum à peritis omnibus edicitur, vitam aliter, quàm præcisâ tibiâ, retineri non posse. Ceterùm anxius hisce periculis Hermanni animus, solatium pariter ac subsidium à Deiparâ, tot morborum profligatrice, flagitandum esse con-

constituit. Ceream ergo tibiam cum votiuo munere Siluaducensi Matri pollicetur. Itaque desertum omissumque ab hominibus virum, Diuæ prouidentia curaque excepit. Nam primùm quidem fulcris nixus corpus promouere; deinde fulcris ipsis in humeros sublatis, Siluamducis rectà contendere valuit, ac promissi fidem explere. M. CCC. LXXXI.

CAPVT XVII.

Surdi duo audiendi sensum diu desideratum recuperant.

HAud paullò plus admirationis habent, quæ de sanatione Guilielmi Scriuerij Campensis memoriæ prodita sunt. Res altiùs repetenda est à sexagesimo quinto, supra millesimum trecentesimum, CHRISTI anno. Tum quippe Scriuerius cum quibusdam vicinorum ab Aquis Grani discedens, in patriam intendebat iter. Vt Ruremundam ventum est, secundo Mosâ defluere placuit ad tractum Moudicanum exscensuris. Verùm offensa inter nauigandum valetudo sic aures Guilielmi insedit, vt prorsus nihil, cùm domum rediisset, auditu valeret percipere. Hoc afflictus malo, in Sacerdotem incidit; qui de peccatis confesso magnoperè auctor fuit, vt tribus Regibus, quorum monumento Coloniæ habetur honos, destinaret animo votiuæ ceræ libras omnino XIII. quas precariò ab aliis CHRISTI nomine quæsitas, ad eorumdem deferret aram. Salutari consilio promptè *Circiter XX. Decemb.*

E æger

M. CCC. LXXXI. æger obſequitur, & mox omni penitus morbo liberatur. Sed plerumque haud minùs eſt obliuioſa felicitas, quàm calamitas pia fuerat. Nam qui aduenientem gratiam cupidè acceperat, præteritæ confeſtim oblitus nihil minùs quàm de Colonienſi profectione cogitat; donec poſtliminiò velut in ſedem ſuam reuerſus dolor, haud obſcurus diuinæ vltionis ſatelles adfuit. Interim effuſa latè Siluaducenſium recens fama prodigiorum nouis ſubinde incrementis ac ſermonibus diuulgabatur. Hinc ergo Guilielmus petendam ſibi quoque opem ratus, nil aliud aut animo tractare, aut votis flagitare inſtitit. Nec ardentior quàm diuturnior fuit ea precatio, non iam ſupplicis modò, ſed pænè etiam expoſtulantis. Quidni enim, inquit, ab eâ mihi ſalutem pollicear, quæ tot mortalium cladibus finem impoſuit? cuius potentiæ numquam ceſſit benignitas, benignitati numquam facultas defuit? Non me fallit animus, ô VIRGO, ex aliorum fortunâ de ſubſidio tuo ſecurus. Sed & in te maximæ felicitatis eſt, in plures felicitatem transfundere; & ſummæ caritatis, caritatem immerenti non abnuere. Haſce atque alias ſpes agitans animo, noctem Diuorum omnium memoriâ ſolemnem trahebat inſomnis, cùm vox clamanti quàm dicenti ſimilior, tertiò audita, exſiliret è ſtrato, iterque voto conceptum ſuſciperet. Ita & ſuâ ſponte, & cæleſti velut oraculo admonitus, conſurgens properè ſuo ſibi ære XIII. ceræ libras coëmit; voti quoque iam olim facti non ſatis memor,

memor, alimentis, non ceræ emendicandæ curam intendit. Tum maior vis morbi adorta est vexatione subitâ non doloris modò impatientem, sed propè indignatione & voti pœnitentiâ victum. Nec aliud à Parocho quem consuluit solatium fuit, quàm voto standum esse: alioquin funestam spreti Numinis instare mercedem. Mox longè diuersum ab alio Sacerdote consilium accipit; mitigari posse voti modum; Superos conatu magis nostro, quàm rei euentu metiri hominum fidem; quod præstari non posset, exactum non iri; si mendicata cera difficilè pararetur, hanc molestiam pecuniâ redemptam declinari posse. Hæc responsa ægro animi curas & metus augebant: donec adhibito Franciscano Sacerdote didicit nihil sanctius, nihil antiquius esse debere, non tantùm voti religione, verùm etiam ritu ac modo: quam sibi ipsi mendicandi legem dixisset, eâ temerè solui non posse. Non exiguam animo sollicitudinem incusserat hæc Sacerdotum dissensio; & quidquid in vtramque partem aut metus aut spes subiecerat, attentâ æstimatione reputabat. Et tunc nox erat immaculatis Deiparæ primordiis sacra, quæ tandem multa de periculo suo pensanti somnum attulit. Sed breuem illam quietem species quædam diuinitus missa (MARIAM Virginem fuisse deinde perceptum est) confestim ademit. Ingens luminis vis remoto iam sopore excitum circumdat, ab adstantis emissa manu. Ad hæc vox audita suo Guilielmum M. CCC. LXXXI.

E 2 nomi-

M. CCC. LXXXI. nomine compellantis, Promissio, inquit, tua, prece, non pretio paratam ceram exigit. Abi ergo, & interposito Matris MARIAE nomine, quæ in D.Ioannis colitur, tantum ceræ conquirito, quantum voti præscribit religio. Ne quid porrò aut de meâ potentiâ, aut de visi huius veritate ambigas, integrâ tibi capitis sanitate præsentiæ meæ fidem adstruo. Non lætum modò Scriuerium hæc vox, sed etiam grauissimo capitis tormento aliquantisper liberum fecit. Cùm enim ad eum diem inclusus capite ventus vi tantâ intrinsecùs eius aures verberasset, vt plena turbinum agmina eò, velut ad decretum prælio locum, concursare atque furere viderentur; cumque molestiæ acerbitas propè ipsum audiendi desiderium fastidio iamdudum mutasset; repentè discussa insani murmuris rabies tranquillitatis initio dedit locum. Cuius repentini miraculi fructum ne denuò irritum faceret prolatantis cunctatio, attonitum rursus Diua, comitate in seueritatem iam versâ, appellans, Nunc demum, inquit, tarditas tua finem inueniat. Quòd si nondum sat magno hæ tibi moræ steterunt, multaberis labore non leui, sed pio, quo præteritæ dilationis noxam expies. Abi ergo, & tum hoc, tum postrema quinque miracula, Filij mei patrata subsidio, templis omnino centum, proximè Siluamducis positis, palàm deprædica atque diuulga. Adhæc, in æde qualibet, lucente cereo imaginem ornabis meam. Toto itinere nullus nisi emendicati cibi vsus erit; amore ac mentione nominis

minis mei excitabis donantium largitatem. Ab hac M. CCC. LXXXI.
profectionis votiuæ ratione rituque vel latum vnguem discedere nefas esto. Ceterùm expletis piaculis, si quid tibi piorum hominum eleëmosyna reliqui fecerit, id ad me adferes sedulitate pari ac fide. Ad vltimum sic habeto; si ex hoc præscripto meo cuncta ritè peregeris, morbi vice, non tantùm certa, sed etiam longa te sanitas manet. Cùm hæc Diua pronuntiasset, subitò Guilielmi oculis subducta est. Tum enimuerò ille simul viso, simul monitis cælestibus ardentiùs incitatus, pristinæque ignauiæ damna reputans, quondam salubre consilium serò exequi cœpit. Nec defuêre vicini ac familiares, ad quinquaginta numero, qui, ad implenda Virginis iussa, discedentem Siluamducis vsque prosequerentur. Eò vt peruentum est, cereum pro se quisque ardentem obtulêre. Guilielmus, cuius vultus inter omnes pietate notabatur, tredecim pondo ceræ pependit, ac lætum propinquorum agmen lætior ipse domos reduxit. Huic alterum & morbi & XXIV. Decemb.
remedij similitudo coniunxit. Triennium integrum Vrolinus Eppensa Teneramundæ surdus egerat; nullam, nisi quam plenus clamor intenderet, vocem accipiens. Audiuit tamen miraculorum Siluaducensium famam, eo præsertim tempore totâ Flandriâ decantatam. Ex eâ quantum sibi creuisset fiduciæ mox ostendit, votis pro recuperando audiendi sensu haud cunctanter susceptis. Nec quidquam citiùs, quàm aut diuini vis auxilij, aut restituta audiendi facultas præstò

 fuit.

M. CCC LXXXI. fuit Ad vota deinde reddenda breuî Siluamducis peruenit, & argenteam capitis effigiem, octo vnciarum pondere, ad honestandam Virginis aram suspendit. Ibi Sacerdotes alijque præsentium, cùm ad explorandam miraculi fidem nihil inexpertum omitterent, submissis vocibus cum aduenâ collocuti, eum dictorum omnium compotem esse senserunt.

CAPVT XVIII.

Captiuus carcere euadit.

XXIIX. *Decemb.* SVb hæc Albertus, Alberti Loyeni filius, nihil tutius afflictis rebus publicâ fide & clementiâ Virginis ratus, postulatum ab eâ auxilium, pænè promptiùs quàm petierat, expertus est. Schindelio pago oriundus in Flandriam abierat, atque inde Seuenbergam, Henrici Arnoldi litterarum pyxidem ferens. Ea pyxis, quia aperta erat, Seuenberganis suspicionem iniecit, explorandi prodendíve causâ ignotum aduenam accurrisse. Ergo comprehensum ciues in turrim abducunt, & situ & opere multùm editam. Huic mandatum custodiæ non modò numellâ includunt, sed nouem insuper catenis sic adstringunt, vt corpus ægrè moueret. Panis quoque & aqua in alimoniam parcè præbita sunt. In minore spe quàm periculo versans Albertus, inire tandem rationem cœpit, vt quod humanæ industriæ deerat, diuinâ prouidentiâ leuaretur. Ergo totas animi vires in Siluaducensis Virginis cultum

tum vertere: huic optimam conſcientiam ſuam, fortunam iniquiſſimam repræſentare: eam iudicem cauſſæ ſuæ, eam calamitatis patronam depoſcere. Si libertati redderetur, primùm omnium amiculo dumtaxat laneo velatum, ac nudatis pedibus properaturum Siluamducis: ceterùm ad proximum vrbi lapidem, veſtem reliquo corpori, quoad pudor ſineret, detracturum, eâque nuditate beneficij magnitudinem profeſſurum. Hæc pro ſe magno ſenſu locutum è veſtigio Regina cæleſtis abſoluit. Nam ſimul ſtipes, cui artus vincti inſerebantur, cum ingenti fragore diſſiliit, ſimul catenæ omnes vltrò ſolutæ ſunt. Neque ſegnior fuit Albertus in occupandâ libertate, quàm in eadem poſtulandâ ardentior. Quippe felici ſaltu in ſubiectam foſſam delapſus, nullo accepto incommodo, etiam aquas traiecit. Inde rectà ac properè demptis calceis Siluamducis abiit, nec quidquam eorum, quæ ad voti religionem pertinerent, omiſit. Demum, vt exactiùs ad fidem conſtarent omnia, narratio ſacramento, ſacramentum Euangelici codicis tactu firmatum eſt.

M. CCC. LXXXI.



OTHO-

OTHONIS ZYLII E SOC. IESV

HISTORIÆ MIRACVLORVM B. MARIÆ SILVADVCENSIS

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

Brugensis signifer in prælio seruatur.



s ad quem nunc transimus, à Virgineo partu annus M. CCC. LXXXIII miraculorum copiâ & magnitudine longè clarissimus exoritur. Vt enim frugum, sic & miraculorum tempestates quædam feraciores fuere. Huius itaque libri diuitiæ præterita vincent, & quantumuis auidi Lectoris cupiditatem leuabunt. Quamquam neque superioris anni penuria à Deiparæ parsimoniâ est: sed tum ab humanæ sortis vitio, rerum etiam præstantissimarum diuturnitatem carpentis; tum ab eorum incuriâ, qui olim vel conscribendis diuinorum

rum

rum beneficiorum monumentis, vel iisdem custodiendis præponebantur. Ex iis enim quæ Libro primo tradidimus, tamquam ex reliquiis magni alicuius operis vetustate exesi, facilis coniectura est, longè plura, quàm quæ à nobis iam narrata sunt, intercidisse. Sed cùm illorum desiderio præsentium copia sit multò iucundior, obsequar iam nunc animo meo, libenter ad sequentium miraculorum contemplandam magnitudinem se transferenti. Primi certè mensis eo die, qui D. Antonio sacer est, non vulgare miraculum in ephemerides relatum accepimus. Ardebat hisce annis vniuersa Flandria non modico bellorum tum ciuilium tum externorum motu. Gandauum præsertim & Bruga, bellicosæ tum vrbes, frequentibus, variante idemtidem fortunâ, inter se præliis collidebantur. Cruentæ dimicationes nunc pro salute, nunc pro imperio susceptæ, incendebant fatales vtrisque iras. In medio tamen tot furorum, pietati quoque, licet exemplo rarissimo, locus fuit. Gerardus enim Grasius, Brugâ editus, priùs quàm in aduersam hostium aciem creditum sibi signum moueret, votiuæ peregrinationis, ac doni alicuius dicandi cogitatione apud animum tacitè firmatâ, Siluæducensis Patronæ fauorem sollicitauit. Sperabat vtique fore, vt, si non victoriam, at salutem certè ex illo certamine reportaret. Itaque Virginis velut signifer effectus animique plenus constanter in hostem ducit. Sed primæ Gandensium irruptioni, qui Grasium sequebantur, impares M. CCC. LXXXI.

M. CCC. LXXXI. pares fuere; & celeriter plerique concisi sunt. Signifer tamen ipse, cùm telorum, sanguinis, fugæ circùm plena essent omnia, tot gladiorum ictus, telorumq; missus exspectans, & ab hostibus vndique circumuentus, desperatis rebus omnibus, à Virgine tutelam sperare ausus est. Ad spem tam salubrem voti quoque, initio pugnæ concepti, repetitionem adiungit. Interim magna fit strages, & tota propè eius cohors occidione deletur. dena ferè cadauera alia super aliis aggerata iacebant. Nec sic quidem constantia Gerardi victa, magis hostium ardorem exstimulat. Crebris ergo missilibus perstantem adorti, incassùm omnia, protegente nimirum Diuâ, effudêre. Quam tutricem cùm ille non iam vitæ suæ, sed morti solatium adesse crederet, repentè semet extra pugnantium globum cõstitutum esse, pari admiratione ac gaudio defixus, cognoscit. Ibi MARIAE Matri, in quâ vltima spes eius hæsisset, cùm alia euadendi via nulla patuisset, liberationem sui gra-
XVII. *Ian.* tus adscribit. Inde Siluamducis profectus, testibus optimæ fidei rem gestam enarrauit, votoque sese, vti par erat, exsoluit. Id miraculũ eò visum fuit illustrius, quòd in tam ancipiti concursu non in acie prosperâ, præsertim vexillifer, ac ne saucius quidem, seruatus est. Ita Virginis præsidio priùs muniti, quàm in vltimo discrimine de totâ retrò æternitate periclitentur, vel in mediâ morte vitæ tutelam inueniunt.

CA-

CAPVT II.

Mulieri crus persanatur.

MAriam quoque Tauernieram, cui Bruxellæ domicilium erat, Deiparæ MARIAE beneficentia obstrinxit. Plus quàm tertius erat mensis, ex quo cruris dexteri acerbo cruciatu torquebatur. Sic atrocitas doloris increuerat, vt intumescente circùm carne, perinde quasi stimulis foderetur, nec vllam quietis partem capere, neque vestigium ægra mouere posset. Sed ne in lectulo quidem augendæ carnificinæ metus, in quem semel se composuerat corporis habitum, mutare sinebat. Quare adhibitus serò Mędicus, vbi vitiosam partem diu multumque contemplatus est, dolenter pronuntiat, plus apud se timoris esse quàm consilij. Verùm postquam tumor extra consuetum modum erupit, tandem dissimulato magis, quàm spreto metu, nouaculâ cutem dissecare atque dissoluere placuit; ne artis inopiæ vlterior remediorum dilatio adscriberetur. Sed quia morbus medicinam vicerat, parum prosper curationis euentus tumorem auxit, ac ferrum non tam adiumentum sanitatis, quàm vexationis irritamentum fuit. Cùm itaq; acerbissimi tormenti sensu magis magisque ægra affligaretur, ab humanâ ope ad diuinam versa, Siluaducensis Diuæ implorat auxilium: dumque votum precibus miscet, suppleuit Medici vicem Diuæ manus, ac tumorem sedauit. Be-

M. CCC. LXXXI[illegible] XXVI. Ian.

F 2 nefi-

M. CCC. LXXXII. neficium tamen Bruxellæ inchoatum, Siluæducis impletum fuit. Nam tametſi depulſa eſſet cruciatuum acerbitas, in genua tamen neque dum procumbere valuit. Verùm ſimul atque medicæ Virginis ſimulacrum aſpexit, in eoque MARIAM venerata eſt, haud ægrè corpus exceptum poplitibus ſuſtinuit. Itaque velut duplex miraculum experta, cæleſti Virgini lætâ voce gratulata eſt; diuturniorem ſperans fore membrorum vſum, quæ Deiparæ potentia reparaſſet.

CAPVT III.

Cæcus illuminatur.

XXIX. *Ian.* PArem in diſpari morbo B. Virginis opem Henricus Cloeckius Weſtphalus Molanus obtinuit. Quod enim cariſſimum æquè ac neceſſarium eſt mortalibus, oculorum auxilio ſic deſtitutus erat, vt alterum oculorum quadriennio, alterum biennio amiſſum lugeret. Igitur inueterata cæcitas neq; vllũ fulgoris diurni ſenſum reliquerat, neque multiplici Medicorum induſtriæ cedebat. Quocircà ille damnatâ remediorum ope, quorum vim fruſtrà expertus fuerat, diuinæ curationi ſe ſtatuit committere. Et fortè, circiter natalem Virginis diem, recens ad eum fama pertulerat, non exiguo ægrorum numero ingentia diuinitus auxilia Siluæducis eſſe collata, atque etiamnum maiora ferè tribui, quàm petantur: tantam ibi Diuæ largitatem enitere. Enimuerò multis opus non fuit, vt

cæco

cæco videndi cupiditas iniiceretur. Itaque fiduciæ plenus obnixo ſtudio Diuæ implorat auxilium : peregrinationem Siluamducis initurum, dona pro facultatibus oblaturum vouet, ſi vel tantillum lucis diſpicere detur, quantum capeſſendæ viæ, & regendis citra errorem atque periculum pedibus neceſſe ſit. Vouendo ſic increuit ſperantis fiducia, vt, ſupplicum propè modum egreſſus, etiam poſceret, intra octauum deinceps diem aliquod ſibi ſignum præberi, quod abituræ cæcitatis faceret fidem. Res mira : excuſſis repentè tenebris, affulſit quidem nouus aliquis iucundæ lucis radius, verùm oculis adhuc malignè rerum conſpectum præſtantibus : donec tertio inde die, ſubmotâ omni caligine, ſic priſtinum recepit oculorum lumen, vt nihil aciem eius effugeret. Id adeò iuratus ipſe apud complures teſtes expoſuit, vbi Siluamducis probè videns, iuxtaque ſucceſſu lætus, cum votiuo munere peruenit. Nec illi alia mens fuit, quàm vt deinceps perpetuò illam in oculis ferret, à quâ tam illuſtri beneficio deperditos oculos recepiſſet. M. CCC. LXXXII.

CAPVT IV.

Tibia peruſta reſtituitur.

NIhilo minùs admirabile eſt, quod deinceps de Ioanne Queckero Gheervlitano traditur. Is enim, cùm ſali excoquendo intereſſet, fallente per lubricum veſtigio, crus alterum feruenti aheno immer- *XII. Feb.*

 ſit.

M. CCC. LXXXIII. ſit. Non aliud doloris genus offenſos artus aut celeriùs depaſcitur, aut vehementiùs infeſtat. Primùm itaq; vitioſa pars inſolito tumore attolli, deinde atroci inflammatione æſtuare cœpit. Verùm vt malo gliſcenti æger occurrat, ſummâ curâ remedia omnia, quæ inſula non maxima ſuppeditaret, explorat. Quæ cùm incremento ſeu noxæ, ſeu periculi, parum reſiſterent, celeriter Bruxellam deportatus, in vrbe principe nobiliſſimos Medicorum, aliaque iſtîc in auxilium morborum vulnerumque prompta, experitur. At verò cùm inibi neque mali vis leuaretur, neque moram vltrà ferret (nam ad peſtis illius fœditatem etiam tanta odoris grauitas acceſſerat, vt miniſterium eius ceteri ferè auerſarentur) ad alias etiam vrbes circumlatus, poſtquam nihil inexpertum omiſit, tandem intelligit, ſpem ſanitatis vnicam, ſed acerbam, in amputando crure repoſitam eſſe. Vltima neceſſitas ſalubre menti conſilium dedit. Tum demum nihil potius habuit, quàm vt ſanctiſſimam Siluaducenſium Patronam voto nuncupato propitiaret ſibi. Et ſubitam commutationem videre licuit. Quippe & crus confeſtim detumuit, & ardor refrixit, & pedes obſequium breuî reddidêre. Ille porrò expletis, quæ vouerat, omnibus, ac ſcipione, qui greſſum fulciuerat, apud ſignum tot miraculis conſpicuum relicto, Siluaducis cum ſalute pariter & copioſo gaudio in patriam rediit; cùm inde vſque à Præcurſoris Christi feriis ad Februarium menſem curationis expers iacuiſſet.

C A-

CAPVT V.

Nautæ naufragij & piratarum periculo eripiuntur.

NE magis terras quàm maria Deiparæ ditione gubernari autumes; eius Filio complacitum fuit, vt inter piratarum incursus ac Syrtium fraudes maternæ quoque potestatis indicia extarent. Nam ante decimumquartum, quàm Siluamducis aduenerant diem, Deipara Virgo duplex discrimen ab Nicolao Henrico, eiusque filio, æquè periclitantibus, tamquam salutare pelagi sidus auertit. Hi enim idoneum nacti ventum, nauem frumento onustam è celeberrimo Daniæ freto, quod Balticum mare cum Oceano miscet, producebant; Schiedamum, vrbem patriam, petituri. Superatis faucibus freti, nauis longiùs in altum prouecta, maius nautarum opinione periculum incurrit. Nam in Syrtes secundo flatu delata, primùm ex improuiso substitit: ac deinde non sine fragore ita vadi angusto transitu excepta est, vt nullo nauticorum molimine expediri potuerit. Ne in gubernatore quidem quidquam opis erat, tenacitate vadi omnem facultatem seu ministrandi, seu opitulandi, vincente. Itaque magna, id quod necesse erat accidere, vectorum omnium perturbatio facta est, præsentibus grauiora, quæ sequerentur, exspectantium. Naufragium præ oculis erat. Horrorem mortis & vltima quæque ignari sibimet ominabantur. Nec

M. CCC. LXXXII. XIV. *Feb.*

vllibi

M. CCC. LXXXI vllibi promontorium aut continens aliqua aperiebat sese. Iamque spes salutis abscesserat, cùm repentè beatæ MARIAE, quæ Siluæducis colitur, ope simul ab omnibus imploratâ, tota nauis personuit: cereum nauis simulacrum Diuæ offerendum inclamant. Crederes Virginis clementiam cum ipsorum pietate certare. Extemplò, aquis leni tractu subeuntibus, cœpit leuari nauigium, & mox secundis ventis impulsum lætissimo cursu vela fecit; cunctis insperatam salutem immodico gaudio celebrantibus. Sed rarò lætitia mortalibus diuturna est. Aliquantum inde prouectis subitò nouus & pristino maior terror incutitur. Nam prædones non paucos ex inopinato prospiciunt, piraticum lembum in nauem ipsorum inermem celeriter incitantes. Hîc neque maritimis nauticisque sollertia atque ars præsidium ferre, neque timor pauidorum fugam intendere potuit. Quin & numero piratæ præstabant, non minùs quàm armis & pugnandi vsu. Ergo facilè sine prælio nauis capitur, raptorum prædationi relicta: ac naufragio vix subducti, in alterum discrimen incurrunt, eò scilicet grauius, quò impotentior est hominum auara crudelitas, quàm violentia elementorum. Itaque prædæ faciendæ nullus finis fuit; cumque omnia direpta essent, ne vestimenta quidem velandis corporibus reliqua fuêre. Nec finis malorum. Quippe in flentes atque nudatos denuò coorti latrones, morituris manus iniiciunt, vndarum vorticibus vniuersam turbam destinantes. Verùm in summâ

mâ illâ omnium trepidatione,vitæq; diſcrimine, præ- M. CCC. LXXXIII.
ſens calamitas recentem Diuæ benignitatem in memoriam reuocauit. Ad quam denuò maiore quoque fiduciâ conuerſi,Nicolaus inprimis,ceteriq́ue (vt ſunt preces miſerorum) vehementer orant, vt quos ſemel iam exemiſſet periculis Virgo, eoſdem ſecundo beneficio obſtringat ſibi; ceream vtique hominis effigiem Siluæducis, ſi licuerit,dedicaturos. Nec vana precatio cecidit. Rabiem quippe latronum vis quædam cæleſtis repentè in clementiam vertit. Nam primùm quidem (quis credat?) libertatem, tum prædam cum nauigio totam afflictis reſtituunt, ex prædonibus tamquam tutores nauigantium facti. Ceterùm illi Diuæ auſpiciis proſperam deinceps tempeſtatem nacti,exultantes gaudio patrium breuî portum incolumes adſpexêre, ac Siluamducis ad venerandam inibi Diuam profecti, nihil eorum quæ in periculis vouerant, in ſecuritate omiſerunt: teſtantes longè vtique maiorem fuiſſe Diuæ potentiam in hominibus, qui auaritiâ prædæ ardeant, mitigandis, quàm in Syrtium diſcrimine ſuperando.

CAPVT VI.

Aqua intercus, ac diuerſi morbi, abiguntur.

NEque magis latrones, quàm morbi infeſtas mor- XVI. *Feb.*
talibus aquas faciunt. quæ quidem cùm inter cutem intumuere, præſertim ſi malum inueterauerit,

M. CCC. LXXXIII. non sine magnâ molestiâ discutiuntur. Huiusmodi tumorem in ventrem contraxerat Petrus Hugonis, Zelandus, haud procul Ziriczæâ pagi incola; cui pagò Westerscoudiæ nomen est. Acuta morbi vis, aluo non modicè intentâ, triennium totum durauerat; sed postremus annus ita tumorem pariterque tormentum auxit, vt lecto, non solùm somno abstinere cogeretur æger. Ita demum secundæ valetudinis spes omnis abscessit. Non tamen Petri animum sic desperatio salutis affecerat, quin votis precibusque pro medicamentis atque remediis vteretur. Nudis itaque pedibus ad Siluaducensem Diuam laneo amictum vestitu profecturum vouet. Nec minùs ad morbum quàm ad animum ægri respiciens Diua, laboranti promptè succurrit. Ergo confestim finitus est dolor, & aqua, quæ miserum inter cutem pessimè habuerat, copiosa defluxit. Neque pristinus corporis habitus dudum abfuit. quo ille fretus peregrinationem ex voto peregit, quatuor & viginti testibus è tractu Ziriczæano, siue gaudij siue veritatis celebrandæ studio, vnà secum adductis. Eodem fermè tempore præclara Diuæ beneficia ante eius aram Siluaducensem complures pro-
... Feb. fessi sunt. Guilielmo Thenensi Lugduno-Batauo vni-
XII. Feb. cam in crure, Lamberto verò Rytio Millensi triplicem in vnicâ tibiâ fistulam siccauit inuocata Dei pa-
XIII. Feb. rens. Catharina Ioanni Clauwartio in Duuelandiâ nupta acerbum capitis dolorem, perque sex ferè menses tentatis nequidquam medicamentis insanabilem, eodem

eodem remedio diſpulit. Tum Scheueniſſæ Eliſabe- M. ccc.
tham, Petri Ioannis vxorem, mamilla altera ad pilei LXXXIII.
virilis altitudinem inflata vitæ periculo terruit: nam- XIII. Feb.
que & triduum omni vocis caruit vſu. Is quoque tumor Virginis ope reſedit. Poſtremò Nicolaus Marti- XVI. Feb.
ni Harlemius exuit dexteræ habitum longè teterrimum. Ea vtique manus in maritimâ nauigatione ſic diriguerat gelu, vt non tantùm curua, ſed etiam inutilis facta, turpi quoque nigritie fœdaretur. Verùm benigna Deipara, nautæ manus vſum coloremque reſtituit.

CAPVT VII.

Ignis ſacer extinctus, atque inceſſus mulieri redditus.

TAm beneficam in externos auxiliatricem dome- I. Mart.
ſticis quoque non deeſſe, Catharinæ Siluaducenſis mulieris ærumna monſtrauit. Hæc Gerardo Storems nupta in hac vrbe Hintamenſem regionem incolebat. Iamque aliquot menſes erant, poſtquam ſacer ignis alterum eius pedem, ſerpente paulatim ardore, vehementer incendit. Augebat vexationem, curationis, fruſtrà tentatæ, deſperatio. Sed miraculorum notiſſimorum præſens memoria remedio fuit. Patronæ Virginis opem expoſcit, eiuſque ſacelli viſitationem addicit. Nec ea pietas ſupplicantem fefellit. Statim omnis inflammatio, velut iniectâ frigidâ, conſtitit. Interim verò dum ad integram ſanitatem pes reducitur, illa quietis longè pertæſa, ac prodeundi cupida, ex

M. CCC. LXXXIII. suis misit, qui duo lignea sustentacula, promouendo ad incessum corpori, à Virginis arâ tantisper mutuaretur, dum pes eundi facilitatem reciperet. Exinde vbi certa euidentia redditæ sanitatis adfuit, relictis domi adminiculis ad Virginem pedes sese confert, actisque enixè gratiis domum reuertitur. Verùm haud ita multò pòst sopore oppressa visa est sibi audire vocem, iterùm ac tertiò monentem, Restitue fulcra templo vnde sumsisti. Catharina somno soluta, cælesti monito confestim paruit, verita ne cunctatio grauiorem aliquam vltionem prouocaret.

CAPVT VIII.

Puero aquis suffocato vita redditur.

11. *Mart.* ETsi maxima sunt quæ adhuc litteris consignauimus miracula, tamen ea quodammodò minora videntur, mortuum vitæ restitutum scripturo. Waelwicæ Ioanni Meyero domus erat templo proxima. Inde postridie Kal. Martias Nicolaum eiusdem filiolum siue videndi, siue ludendi, aut in vetitum nitendi cupido ad vicinam fossam inuitauit. Eò progressus puer, malus sui tutor, in subiectas aquas præceps corruit, auxilijque inopiâ breuî vitam amisit. Tandem post tres horas circumactas, à domesticis, metu anxiis, requiri diligenter cœptus est; atque (vt est præsagus parentum timor) ante omnia ad fossam decurrêre, rati, id quod erat, puerum ætatis illius more, aqua-

aquarum illecebrâ decipi potuisse. Ibi suauissimum pignus facilè conspicati sunt; nempe aquis iam placidis, & liquidò ostendentibus cadauer iacentis in fundo pueri. Extrahunt pro se quisque extinctum, & rigentes artus vtcumque componunt. Totum corpus, exclusâ vtique animâ, iamdudum calor vitalis liquerat, nullâ humanâ ope reuocabilis. Sed qui alios exanimasset, repentinus sobolis interitus, Nicolai parentibus solatio remedioque pariter fuit. Mox enim cum circumfusâ adstantium turbâ ad Reginam cæli curas vertũt, eamdemque sese vnà cum puero, si reuiuiscat, Siluæducis veneraturos pollicentur. Mira dictu res. Confestim vitæ compos fit puer, nec tantùm valens, sed etiam loquens, tam ingenti miraculo affirmat fidem. Parentes cum rediuiuo filio magnoq; vicinorum numero, post quintum ab accepto beneficio diem, Siluamducis delati Matrem Virginem ante eius signum salutarunt, donis quoque augendo Diuæ cultui relictis. Sic didicêre quorum custodiæ tenella ætas creditur, vnde opem periculis, etiam ab ipsorum incuriâ profectis, & sperare debeant, & obtinere possint. M. CCC. LXXXIII.

CAPVT IX.

Puella à præsenti mortis periculo reuocatur.

CEterùm, dum inter vicinos Diuæ beneficia propagantur, Wendelinam quoque Gisberti & Wendelinæ filiam cõmunis adiutrix complexa est. Heela vii. *Mar.*

M. CCC. LXXXIII. pagus eſt, quem Moſa amnis præterfluit, Diſum fluuium Siluaducis effuſum eo tractu excipiens. His in locis pernicialis eâ tempeſtate lues iuniorem Wendelinam inuaſit. Puellam peſtilens malum ſic breuî afflixit, vt vltima quæque paſſam vita omnis deſtitueret. Ergo deploratam è lectulo in ſtramenta reclinant, vbi extremum, ſi quis adhuc ſupereſſet, ſpiritum effunderet. Cumque vltrà in eius corpore vitalis nulla motio percipi poſſet, mater iniectâ lugubri ſindone velat membra, ac triſti ſilentio muta, ad cogitationes, num quid ſpei ſuccurreret, dolorem conuertit. Subibat inter hæc animum vicina Diuæ ſtatua, atque apud eam benignitas in omnes ſingularis. Igitur votum nuncupat; nec tantummodò triticum & vinum, ſed auri quoque & argenti iuſtum numerum, Deiparæ offerre conſtituit. Verùm puella totos deinde quinque dies noctéſque in eodem corporis habitu vitæque deliquio durauit; omnibus ſiue mortis, ſiue miraculi potiùs expectatione ſuſpenſis. Donec tandem appetente ſexto die, meare ſpiritus cœpit, & lingua nonnihil moueri. Hoc primum vitæ indicium, poſtquam in eo ſtatu fuerat, propinata modicè frigida confirmauit. Inde paulatim reddito animo, corpus quoque vigorem ſuum expectatione maturiùs recuperauit. Quippe virium compos, haud ita multò pòſt MARIAM Virginem cum turbâ vicinorum adiit, Diuamque velut alteram parentem promiſſis à matre donis venerata eſt. Quæ quidem puella, ſiue morbo

ſiue

ſiue morti (neque enim affirmare ſuſtineo de quibus M. CCC.
ambigo) exempta diuinitus fuit, oſtendit certè om- LXXXIII.
ne prorſus malum, quamquam remediis humanis maius ſit, Deiparæ tamen poteſtate longè inferius eſſe.

CAPVT X.

Mulier amiſſum dimidij corporis vſum recipit: Fiſtula, tibiæ pueri infeſta, curatur.

EVndem diem, qui ante idus Februar. ſeptimus VII. *Mar.*
fuit, illuſtrauit Catharinæ Yuelariæ aduentus, & miraculi magnitudine, & numero teſtium memorabilis. Quippe Catharina, cùm triennium integrum reſolutis morbo artubus Berlicomi iacuiſſet, ſex prætereà menſes, ſtupore paulatim corpus hebetante, ita ſenſum omnem amiſerat, vt nulla pars earum quæ à medio pectore ad imas plantas tendunt, dolore etiam quæſito moueretur. tantùm corde tenus vita ſupererat. Nam & in ignem delapſa flammas tibiam depaſcentes non ſenſit, & quandoque defixâ in carnem aciculâ, vt cruciatum experiendo nouaret, vulnera ſine dolore iterauit. His fatigata moleſtiis, ac diutinæ moræ pertæſa, mentem ad altiora humanis remedia erigit. Spondet Reginæ Cælitum profectionem votiuam, in eamque quinquaginta comites, velut Marianæ potentiæ præcones, ſe contracturam addicit. Votum ſanitas, profectio ſanitatem breuî ſubſecuta, teſtium etiam numerum repræſentauit. Inde Ioannes VIII. *Mar.*
Gerar-

M. CCC. LXXXIII. Gerardi Meyeri filiolus saniosâ fistulâ diuinitus liberatus est. Subter dexterum poplitem totum annum id malum hæserat, adeoque altè penetrauerat, vt, quamquam in puerili corpore, insanabile à peritis crederetur. Perenne quippe & copiosum pus ferebatur, remediis nequidquam cohibentibus. Ne tamen quidquam intentatum parens omitteret, mananti fœdè vlceri Medicorum artes opponit. Quibus nihil proficientibus, omissâ omni aliâ spe, sollicitudinem in pietatem conuertit, & Siluaducensem Diuam, tot miraculis celebrem, pro sobole curandâ inuocat. Nec incassùm missæ preces. Nam tertium intra diem coiuit fistula, omnisque circà caro non modò integra, sed etiam pulchra ac nitida, facilè diuinam curationis virtutem asserüit. Pater autem vnà cum sospite iam filio Hagâ-Comitis (ibi enim tum habitabant) ad reddendas Diuæ gratias Siluamducis profectus est.

CAPVT XI.

Mulier in partu difficillimo seruatur.

VIII. *Mar.* HArlemi porrò Mechtildem, Bartholomæi cæmentarij coniugem, manifesto vitæ discrimini ereptam fuisse constat. Huic simul grauidæ, simul morbo vehementi ac repentino correptæ, parturiendi quoque labor adfuit. Qui vbi totum mensem pari tormento ac pertinaciâ ægrè nitentem exercuit, emor-

emortuum tandem fœtum vtero excussit. Verùm illam secunda post hoc naufragium tempestas excepit; siquidem partus alter priore formidabilior subsecutus, tres ipsas hebdomadas miseram torsit, mortuæque similiorem quàm viuæ. Interclusus enim subinde spiritus, arcteque means non satis compotem mentis fecerat. Mulieres intereà, noctu diuque ad moribundæ lectum excubantes, nihil intentatum omisêre. Ergo sacro Oleo iamiam expiraturam inungi placuit, vt salubri medicinâ saltem animus, corpore iam deposito, leuaretur. Ea desperatio luctu mista, diu tenuit non tam puerperam quàm funus visentes, donec animis etiam longinqua auxilia, vt assolet, in extremâ necessitate circumspicientibus, miraculorum Siluaducensium famam retractare cœperunt. Inde pro se quælibet mulier ad vota confugere, ac moribundæ nomine Diuam obsecrare: hæc candelam humanæ statuæ magnitudine, illa ceream laborantis effigiem, aliæ vestem, aliæ nummum promittere. Et placita Deiparæ fuit seu multitudo, seu potiùs ardor vouentium. Ne multa. E vestigio, abstersâ molestiâ omni, monstrum vitæ expers effundit, partu magis facili quàm sperato; & quindecim continenter hebdomadas tam funesto puerperio oppressa, decimo quàm reualuerat die, Siluæducis, aliena vota pro se concepta, liberaliter exsoluit. Complures è viciniâ testes debitam Diuæ laudem, ac miraculo veritatem astruxerunt.

M. CCC. LXXXIII.

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT XII.

Puellam opprimens veternus grauis discutitur.

XII. *Mar.* VSque eò in humani generis possessionem morbi venerunt, vt vel somno intentiore noceant. continuata in lethargum quies fuit, quâ Guilielmus Deenkens & Hedwigis coniuges Helenam filiam Virginis ope solutam vidêre. Boxtellæ miraculum contigisse accepimus. Proximo superiore autumno Helenam tantus marcor, tamque inexpugnabilis dormiendi necessitas adorta est, vt nunc duas cum interposito die noctes, nunc totum triduum continenti iungeret somno. Ac postquam semel hic lethargus obruerat, consopitam nemo antè excitare poterat, quàm sponte suâ torpor remitteret. Simul verò expergiscebatur, subibat os ac vultum fœda contorsio, qualis ferè obsessos à dæmone mortales agitare consueuit. At parentes partim vero pauore territi, partim cæleste spectantes auxilium, quidquid in alterutram partem aut metus aut spes suggesserat, ancipiti æstimatione pensabant. Tandem diuersa voluentibus Siluaducensis Diuæ in mentem venit. Eam patronam deprecati, facilè exitiali sopore discusso, filiæ sanitatem impetrarunt.

CA-

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT XIII.

Iuuenis carcere eximitur.

NEc minùs prompta fuit Deipara ad vinctos carceribus, quàm ægros morbis expediendos. Id sensit Petrus Poelmannus è Prussiâ, ad sacram Crucem Aschæ visendam, ex voto profectus. Qui cùm Mechliniâ iter haberet, exceptus à vigilibus exploratorem credentibus, atque in vincula raptus est. Ibi squallidus ac mœrens septem hebdomadas produxit, solâ carceris patientiâ magis Deo quàm hominibus innocentiam suam probans. Etenim respexit afflictum Deus, & MARIAE matris fiduciam menti, consiliis humanis destitutæ, subiecit. Quâ ille cogitatione accensus in tantam recuperandæ libertatis spem venit, vt imploratâ Siluaducensi Virgine, de læto voti successu, etiam dubitationem excluderet. Igitur solatiis quoque à Deiparâ cælitus immissis recreatus, de euadendi certitudine, quàm de modo securior sibi videbatur. Inter hæc, vt à carcere non diu abest vexatio, superuenit cum tortoribus Prætor, quæstionem de suspecto habiturus. Iam tormenta in promptu erant, nec quidquam reliquum erat, nisi vt trepidanti admouerentur. Verùm sopor repentè Prætorem obruens, supplicio non finem, sed moram iniecit. Prætor enim denuò in custodiam reuersus, iterùm à ministris in conspectu Poelmanni crudelitatis instrumen- XVI. Mar.

H 2 ta

M. CCC. LXXXIII. ta proponi iubet; ſed diuina eum vis ſecundò in ſomnum impulit, atque ab innoxij iuuenis cruciatu cohibuit. Tandem pij quidam homines, ſeu hoſpitis miſeratione, ſeu diuino veriùs inſtinctu adducti, teſtimoniis ſuis Petri integritatem aſſerentes, inſontem libertati vindicarunt. Ille verò hoc diſcrimine liberatus, curas omnes ad deſtinatam animo profectionem intendit, Diuæque in peregrinos homines caritatem libenter prolixeque celebrauit.

CAPVT XIV.

Quidam ob dilatam voti ſolutionem mulctatus, graui tandem morbo eripitur.

XVII. *Mart.* SEquitur miraculum tam præſenti opitulatione mirificum, quàm exemplo fructuoſum. Nam plurimùm quidem Deipara ſe beneficiorum largitricem petentibus præbuit: iam verò ſeſe eorumdem quoque vindicem ingratis oſtendit. Ioannes Boelius è Teneramundano ſolo, vnde oriundus erat, domicilio Brilam tranſlato, inibi brachij dextri amiſit vſum. Ea debilitas cùm iam annum tenuiſſet, & ſpatium longius receptura videretur, Siluaducenſis Virginis imploratione ſublata eſt. Sed & votiuum è cerâ brachium Ioannes Diuæ addixerat: verùm abſente iam malo facilè beneficij oblitus, quatuor circiter menſes, ſi non depoſitâ, at omiſsâ proficiſcendi curâ, moratus eſt domi. Eam voti implendi tarditatem grauis infirmitas, velut cæleſtis iræ nuntia, confeſtim ſubſecuta, partem

partem vnde diuinitus depulsa fuerat, duriore etiam post interuallum impetu, repetiit. Et primùm quidem brachium inflari cœptum est; acerbissimo deinde cruciatu torqueri. Nec intra pristinam sedem calamitas substitit; sed inusitatum quoque tumorem in fauces immisit, vt ne voci quidem, quæ votum neglectum emiserat, suum deesset supplicium. Ita quinque hebdomadæ absumptæ, dolore faucium pænè spiritum, non tantùm cibum intercludente. Tum demum Ioannes malo cautior factus, spatio aliquo ad resipiscendum dato vti constituit, atque ad labes animi confessione piandum curas vertit. Protinus celeri nuntio Sacerdotem, voce propè inclusâ, accersi iubet, vt, damnato ingratæ mentis flagitio, accusator sui factus absoluatur. Sed interim dum Parochus aduocatur, vitium in angustiores sedes contractum ita spiritum arctare cœpit, vt, quamquam Sacerdos nihil cunctatus aduolasset properè, non verbis tamen, sed singultibus dumtaxat loquentem offenderet. Atque vt maximè loquendi facultatem moliretur, vox tamen nil prorsus significare liquidò valuit. Hæ faucium angustiæ toto triduo non tantùm sermonem, verùm etiam omnem cibi & potionis vsum exclusêre. Tum verò ingens hominem incessit anxietas, voti nondum soluti conscientiam obiectans. Ergo tam atroces admissi delicti pœnas à se diuinitus repeti sentiens, æstuare cœpit animo, etiam magis quàm corpore: & voti religione mentem stimulante infensum placare M. CCC. LXXXIII.

M. CCC. LXXXIII. Numen; ab Siluaducensi Virgine veniam sibi & poscere, & polliceri. Proinde manus pariter oculosque tendens in cælum, profusis copiosè lacrymis, toto pectore (nam vox etiamnum aberat) dilatum redintegrat votum: si ad secundam valetudinem recursus detur, fixum sibi ac statutum esse, tam noxias moras promptissimæ celeritatis obsequio resarcire. Hac supplicatione mitigata misericordiæ Mater, iustæ seueritatis aculeum extemplò cohibuit, præter dolentis pœnitudinem spectans nihil. Itaque patefactis repentè faucium angustiis, primùm vox laxata tenorem suum, deinde corpus quoque vires pristinas opinione maturiùs recuperauit. Adfuit etiam Sacerdos reuocatus, ac iam disertè crimina profitenti aures præbuit. Ceterùm leuatus noxis animus non dubiam corpori firmitatem reliquit; & ne quid cunctatio periculi nouaret, abiectâ omni morâ, Ioannem statim in viam protraxit; non iam sibi vota, sed votis accommodantem sese. Vbi autem Siluamducis cum piaculis peruenit, veniâ irarum cælestium, ac pace Dei Matris impetratâ, ægrè grates agendi faciebat finem; vicinis quoque non paucis, quos in viæ societatem rei nouitas contraxerat, euidentiam duplicis miraculi, non minùs vtili quàm læto sermone celebrantibus. Salubri vtique exemplo MARIA, & misericordiæ parens, & seuera scelerum vltrix, effecit, vt & spreta religio in religionem verteret, & repetitam ex interuallo pietatem integrata denuò salus remuneraret.

CA-

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT XV.

Parens quidam ſibi vitam, ægrotanti filio mortem optatam impetrat.

SEd ad ea quæ plus ſolatij quàm terroris oſtentant, quorum longè præſtat numerus, reuertamur. Mechliniæ Ioannes Mannartus grauiſſimâ proſtratus valetudine, vehementer affligebatur. Namque ſic vires effugerant, vt non niſi lineo torali exceptus è lectulo moueri, aut geſtari ſuſtineret. Itaque totas tres hebdomadas mortem non tam imminentem opperiens, quàm præſentem ſpectans, Oleoque ſacro ritè delibutus, velut nuntium remiſerat rebus humanis. Inter eiuſmodi anguſtias deprehenſus ad Reginam cæli ſpem conuertit; adiecto quoque, ſi conualeſceret, voto. Eius voti ſumma fuit, vt pedibus ad augendum viæ laborem nudis, ſoloque veſtitu laneo tectus, Siluaducenſem MARIAM viſeret. Gratum Virgini votum fuit. Nam defunctum omni morbo corpus celeriter reualuit. Intereà Mannarto filiolus iacebat magis acerbo quàm letali & ipſe oppreſſus morbo: qui vt omnium miſerationem exciuerat (nam neque viuere diu, neque mori citò ſinebat infirmitas) ad expertam Diuæ opem parentis fiduciam reuocauit. Quippe cùm in viginti hebdomadas malum traheretur, nec vlla eius mali quies veniret, obnixè Diuam rogauit parens, vt, quod ſoboli benè verteret, aut in terris ei xx. Mar.

ſine

M. CCC. LXXXIII. ſine morbo, aut in cælis potiùs ſine morte liceret viuere. Vtrumuis autem accideret, ſimulacrum filij offerre conſtituit. His etiam precibus Diua annuit, & mox puerum tranſmiſit ad domicilium ſanitatis æternæ. Ioannes verò & ſuam & filij vicem Siluæducis Dei Matri gratulatus eſt.

CAPVT XVI.

Infirmis quatuor redditur ſanitas.

XXIII. *Mart.* HAud dubiè rerum naturam ſub imperio MARIAE conſtituit Filius, quam omnia naturæ vitia permittit expellere. Et ecce comitiali morbo eripitur Eliſabetha Rodolphi Mokartij filia. Erpam parentes incolebant. Ex eo pago vini, tritici, ad hoc argenti auriq́ue votiui tantum pondus attulerunt, quantum religio voti conceperat.
XXIV. *Mart.* Huic miraculo ſucceſſit cruris curatio, quinque & viginti admodum annos interno quodam vitio ac tandem vlcere quoque erumpente afflicti. Petrus Vlugghenus Phuflychius ægro nomen fuiſſe traditur. Qui ſanitate iam recuperatâ, ceream cruris effigiem vnius libræ pondere dedicauit; munus vtique dantis animo, quàm ſuâ mole magis ſpectabile.
XXVII. *Mart.* Tum Ioannes Snellenbergius Weſtphalus, promus Leckanæ Dominę, qui biennium vtraque captus aure, nihil admodum audierat, recuperatum aurium vſum Siluaducenſi Matri acceptum retulit.
XII. *Apr.* Aleydis porrò Campenſis ſex continenter hebdomadas

das tantis tibiæ cruciatibus iactabatur, vt, postquam M. ccc.
in Medicis nihil esse opis apparuit, fracta magnitudi- LXXXIII.
ne increscentis mali, satius duxerit, ægram partem ferro amputandam obiicere, quàm impatibili dolori toties succumbere. Verùm anxiam de instantibus malis, augusta species MARIAE matris, vltrò semet illi offerentis, solata est, cùm ægra tantisper somno acquiesceret. Inde percepisse sibi visa est benignam admonentis vocem, quâ Siluamducis petere, ac ceræ libram offerre iuberetur apud Virginis aram. Hoc illa viso potiùs quàm somno relaxata, sequitur animi impetum, iam spe sanitatem præcipientis, & confestim votum concipit ex præscripto moniti cælestis. Id verò Diuæ placitum fuisse rei ostendit euentus. Protinus sedata mali vis, intra triduum penitus abscessit.

CAPVT XVII.

Puer in cœnosâ lacunâ extinctus, vitæ redonatur.

SVb idem tempus acerba mors manum puero in- XVI. *Apr.*
iecit, periculorum adhuc securo. Is aquarum insidiis exceptus est; cùm fortè propinquior factus lacunæ fœdè stagnanti, lubricâ ripâ non excipiente vestigium, à lapsu sese sustinere non potuit. Igitur nemine opitulante in profundum defluxit, ac repentè aquis suffocatus, ampliùs horam in fundo iacuit, haud dubiâ morte sublatus. Verùm, vt facilè se produnt infortunia, non diu fefellit is casus vicinorum oculos,

M. CCC. LXXXIII. præsertim puerorum; quorum pars vagi & amentibus similes, alijque aliis occursantes, omnem viciniam eiulatu ac vociferatione compleuerant. His exciti parentes raptim, neque minùs sollicitè ad foueam ferebantur. Neque extrahendo puero defuit fida adstantium manus; qui simul rigentis filij cadauer permisêre parentibus, inter eos velut certamen quoddam mœroris cernere licuit. Cùm tres circiter horas in erepti sibi filij luctu hæsissent, tandem, animis ad Deiparæ auxilium erectis, voluere cœperunt tum miracula, tum solatia, quæ Siluaducensis illa malorum omnium victrix innumeris pænè mortalibus contulisset. Ea cogitatio mox in votum transiit, sobolem, si reuiuisceret, cum tritico vinoque votiuo deportandi Siluamducis intra octauum diem. Protinus Ioannem (id puero nomen erat) Arnoldus cum coniuge aspiciunt incolumem, receptâ omni vitæ sanitate. Ergo gaudiis triumphantes, nullum sibi in vitâ illuxisse lætiorem diem recordabantur: nec filij, velut iterùm sibi nascentis, aspectu amplexuque satiari poterant. Et quamquam auxiliatrici Virgini parem gratiam referre nequibant, Siluamducis tamen impigrè contulerunt sese, & vitæ parenti vitam filij sui gratificati sunt. Inde Tuylam, vnde accurrerant, lætitiâ cumulati rediêre.

CA-

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT XVIII.

Sagitta cuiusdam corpori altiùs infixa diuinitus inde exigitur.

NE quod porrò medicinæ genus in Virgine desideres, nunc etiam ad vulnera, non tantùm morbos, curationem extendit; in vtrisque superandis æquè facilis ac felix. Id adeò Quadegodi Astensis periculo ostenditur, ex immissâ in dorsum sagittâ contracto. Tam altè telum in viscera descenderat, vt nullâ medentium industriâ posset euelli. Nam superfusâ carne obtectum, non tantùm oculos aut manus nequidquam prensantium effugerat; sed specillum etiam, quo altitudines vulnerum pertentantur, fallebat. Ita in præcipiti constitutum, seruari non posse credebant Medici, nisi spiculum, admotis à tergo machinis, per ventrem, nouo vulnere, expelleretur; aut certè nisi patefacto ventre latens ferrum extraherent. Et quamquam hoc auxilij genus, certæ desperationis plenum, ars suggereret; nullus tamen inuentus est, qui illud sustineret attingere. Nempe stultum videbatur, subire speciem occidentis eum, quem sors ipsius iam quodammodò peremisset. Intereà & corpore & animo confectus æger in maximo dolore versabatur, magisque in morbi quàm medentium potestate erat. Ergò consuetis morientium adiumentis, ac sacro demum Oleo, Christiano ritu, munitus, vndeuiginti ferè heb-

XIIX. April.

I 2 doma-

M. CCC. LXXXIII. domadas extremum vitæ terminum operiebatur. Scilicet cupidissimus tam longa tormenta finiendi breui leto. Ad vltimum tamen incessit animum non dubia spes salutis impetrandæ à Dei parente. Et morbi grauitas, crescente quoque Diuæ fiduciâ, non parcam votis materiam dedit. Primò igitur sacrum iter nudis pedibus inire constituit; tum abstinentiam ciborum omnium, solo pane & aquâ exceptis, adiicit; laneâ deinde veste vsurum spondet; ac postremò virile simulacrum, infixo etiam telo, perpetuæ memoriæ Virginisque honori oblaturum. Non magis votum, quàm voti modum, adiutrici miserorum placuisse probauit euentus. Siquidem mitigatis quamprimùm doloribus, spiculum quoque intra septimum diem è saucij tergo prodiit; nempe eâdem quâ venerat viâ. Ille verò confirmatis subinde viribus, Siluamducis properauit, non aliàs magis admiratus felicitatem suam: atque vt gratissimâ Diuæ consolatione perfusus erat; ita iucundam illi gratulationem reddidit, nihil ambigens, plus se Virginis præconio impendere, quàm partâ salute lætari debere. Accessit huic lætitiæ altera spes, cui Virgini corporum vulnera tantæ curæ fuerant, eidem haud minùs ægritudines animorum cordi fore.

CA-

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT XIX.

Sacerdos videndi sensum recuperat. Puerpera è duplici periculo euadit.

QVemadmodum morborum, sic & hominum ordines omnes admittit Virgo ad opem suam obtinendam. Et hactenus quidem ferè in vulgus beneficia sparsit; nunc Arnoldo Klinckartio Falckenburgensi Sacerdoti sese beneficam præbet. Is è Limburgensi ditione Siluamducis delatus, hæc ferè, manu ad pectus admotâ, ex animi sui sententiâ iuratus prodidit: integrum annum extincto prorsus oculorum lumine vixisse sese: inter hæc latè vagantem miraculorum Siluaducensium famam, ad suas item aures perlatam, animo hinc cupidinem inde spem subdidisse recipiendæ oculorum voluptatis: tum spe in votum conuersâ, cum animo suo statuisse per omnem vitam quolibet sabbati die, qui dies Virgini sacer habetur, nihil præter aquam & panem degustare, si videndi sensus redderetur: nec defuisse vltrà Virginem desiderio suo, aut lumen oculis; quorum obsequium deinceps non litteris tantùm exarandis, legendísve, verùm etiam Sacrificio peragendo impenderit. In hæc cùm iurasset, Sacerdoti fides, honos Virgini habitus est. Arnoldus verò accepti boni memor, ipsum oculorum lumen auxiliatricis tam benignæ amori deinceps posthabuit, vt se eius beneficentiæ gratum pro- XXI. Apr.

 baret.

M. CCCC. LXXXIII. XXI. Apr. baret. Huic superuenit iam firma & valens Aleydis, Ioannis Lumperi vxor, salutiferam Diuæ manum bis experta. Primùm enim in grauissimos partus dolores incidit, totos nouem dies fœtum emittere frustrà connitens. Ingentem omnibus miserationem incusserat non minùs difficilis, quàm diuturna pariendi necessitas. Tandem fessa longo cruciatu mater, exstincto tot malis infante exonerata est: qui monstro, quàm homini similior, extra oris ac nasi tenue vestigium, nullam humani habitus speciem præ se tulit. Vt facilè pateret, illam partus difficultatem non tam genitricis infirmitati tribuendam fuisse, quàm tergiuersationi naturæ, fœtum monstro affinem producere tardantis. Ceterùm hic abortus, vt prægnanti infaustus, ita iam enixæ pænè exitialis fuit; neque magis principio quàm exitu funestus. Nam fœdas prioris mali reliquias sacer deinde ignis incendit: qui celeriter serpens nullis medicamentis sisti potuit. Igitur misera atrocissimè affligebatur. Iamque desertæ ab omnibus nulla spes salutis aderat, donec Siluaducensem Diuam (cuius miracula tum fortè celebrari audiuerat) venerabunda implorat. Nec spes eam fefellit. Etsi enim id vitium ex his quæ serpunt difficillimè tollitur, mox tamen Virginis potestati cessit. Aleydis verò sic conualuit, vt breuî & partu tam infelici superior, & secuta deinceps inflammatione vacua, Siluamducis perrexerit ad vota reddenda.

CA-

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT XX.

Puella apud parentes in lecto extincta reuiuiscit.

NIhil vſquam tutum eſſe mortalibus, nihil ar- XXII. April.
duum Dei parenti, Sophia Sonnenſis puella à ſinu matris ad necem, à nece ad vitam, Deiparæ ſubſidio euocata oſtendit. Bertholdus enim Bertholdi cum Mechtilde coniuge ad nocturnam ſeſe quietem receperant, filiolâ, vt fit, in complexum matris aſſumptâ. Ita periculorum ſecuri, productis aliquantum colloquiis, ſoporem captarunt. Quo cùm tota nox placidè traducta eſſet, poſtridie albeſcente primùm cælo mater euigilans, cùm primas diei cogitationes, matrum more, ad filiam vertiſſet, eam inſolito modo torpentem offendit; & quò magis explorat, eò certiora ſe produnt veræ mortis indicia. Siquidem cadauer frigore glaciem, duram quercum rigore referebat. Et primùm quidem cohorruit Mechtildis, atque attonitæ ſimilis hæſit, dirâ inopinati mali ſpecie defixa. Vt verò dolor ſe diffundens oppreſſam vocem laxauit, illa familiam omnem ſomno excire, pectus plangere, mortuam ſobolem lamentari, Diuorum hominumque opem implorare; in ſuam denique incuriam tanti, vti credebat, ſceleris culpam transferre. Perturbati his clamoribus domeſtici haud ſegniter concurrunt, atque igni celeriter excitato Sophiam vitâ functam admouent, exploraturi, an fugientem animam blandiore caloris afflatu detinere poſſent. Sed letalis horror

M. CCC. LXXXIII. horror frigoris ſic artus conſtrinxerat, vt fomenta nequidquam adhibita magis familiarium dolori, quàm iacentis ſaluti ſeruirent. Quippe etiam ferro patefactis dentibus, lingua, vt in mortuis, ad fauces contracta haud dubiæ mortis ſpecimen intuentibus dabat. Iamque mœſti ac lugentes totam horam cadaueri aſſederant, de exequiis magis quàm de vitâ puellæ ſolliciti; cùm adſtantium aliqui ſimul animis ſimul vocibus repetere cœperunt, quàm inſignia eximiæ charitatis à Deiparâ profectæ teſtimonia Siluæducis vulgarentur: ibi ægrorum corpora ſanari, morbos fugere, vires præberi languentibus, defunctos reuiuiſcere, & omne miſerorum genus ad certam ſpem ſalutis excitari. Ea commemoratio ſic incendit parentum animos, vt facilè votum eliceret. Vouent igitur, ſi iucundiſſimâ filiæ vitâ denuò frui liceat, referendis Diuæ gratiis pro copiâ ſuâ non defuturos. Nec votum ſecundo euentu caruit. Quippe Virgo orbitatis eorum miſerta, defunctæ puellæ ſpiritum reddidit, qui paulatim per venas vltrò citroque liberiùs commeans, vitalem calorem in membra reuocauit. Puellam igitur non modò ſpirantem, ſed etiam vegetam vniuerſi amplexi ſunt, quà miraculo attoniti, quà lætitiâ geſtientes. Vicini autem cum parentibus voti damnatis impigrè Siluamducis petière. Ibi votum exſolutum eſt, eo vini, tritici, ceræ atque argenti modo, qui rediuiuæ Sophiæ cauſsâ debebatur, oblato Deiparæ.

CA-

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT XXI.

Vir nobilis ab interitu vindicatur.

Atque illa quidem præmatura mortis iniuria in imbecillem ætatem fuit: nunc eadem in virile robur pari ſæuitiâ graſſata, euentu perinde felici vincitur. His ferè temporibus in magnâ Belgij parte morbis pernicialibus laboratum eſt. Nec à bellis, præſertim domeſticis, quies fuit. Tum certè plebs Louanienſis iuſtam Wenceſlai Brabantiæ Ducis iram accenderat. Quippe ad XVII. patricios è curiæ feneſtris præcipitatos haſtilibus ſpiculiſque exceperant, ac laniatos diſtraxerant: tam atrocis facinoris immanitate necem vlti Walteri Leydani textoris, factioſorum anteſignani, quem Bruxellæ patriciorum inſidiis periiſſe credebant. Wenceſlaus itaque Dux, quanto maximo potuit coacto exercitu, ad vrbem Louanium copias admouit, pœnam in ſeditioſos capturus. Inter equeſtris ordinis milites Duci adiunxerat ſe Guilielmus Campenus, haud ignobili natus loco. Sed eum fœdæ luis contagio, quâ infectus erat, breuî caſtris excedere compulit, viribus ad arma ferenda non ſuppetentibus. Igitur Aſſcham, prodigioſæ crucis memoriâ inclytam, delatus, atque vxoris curæ traditus eſt. Ibi magis magiſque vis morbi ingraueſcens vxorem vehementi dolore, amicorum verò fidiſſimos inſuper metu compleuit. Magna enim clades in vrbibus agriſque, promiſcuè omnis ætatis pernicie

XXIV. *April.*

K acce-

M. CCC. LXXXIII. acceptâ, ante oculos erat; aliis ſuper alios in eam peſtem incidentibus. Quare vt animam agere cœpit, ne peſtilentem ſpiritum proximus quiſque hauriret, omnes, præter vnam coniugem, dilapſi ſunt; cùm miniſteriis inuicem & contagione ipsâ morbos vulgari, exhauſtæ funeribus domus teſtarentur. Accedebat, quòd vitam quoque omnem penitùs fugiſſe neceſſarij vno ore omnes aſſererent. Itaque omiſsâ iam defuncti curâ, ſatius eſſe, vnumquemque ad ſuimet tuendi curam reuerti. Sola vxor (vt eſt ſpei pertinax verus amor) negare mortuum, omnem ſalutis diffidentiam excutere, vitam mariti non extinctam, ſed ſopitam credere; itaque nullam operam funeri ac ſepulturæ dare velle. At poſtquam longa exſpectatio nullum vitæ indicium attulit, tandem à familiaribus iuſta parari cœpta ſunt, & illud, ſiue cadauer, ſiue homo (nam id in incerto poſitum inueni) funebri amiculo velatum, ac lapis denique, qui familiaris tumuli aditum panderet, loco motus eſt. Cùm in eo ſtatu Campenſis duas & triginta horas produxiſſet, depoſitus ab omnibus, deploratus à ſuis; ecce ſubitò diuina quædam cæleſtis Reginæ ſpecies torpentem excitat, & voce non obſcurè miſsâ hortatur, vt ſacris dedat animum, & præſertim Siluaducenſi profectioni, eamque vnam opem exanimato ſibi relictam credat. Ea vox iacentem tanto vigore impleuit, vt mox linguâ in votum ſolutâ pronuntiarit, ſe cum vxore totaque familiâ, cereis in ſingulos diſtributis,

ad

ad aram Seruatricis Diuæ properaturum. Hanc vocem sanitas excepit. Neque is segniùs iter quàm votum arripuit. Adscitis quippe XVI. comitibus, asperiorem, quam pro equestri dignitate, sibi vestem induit, & nudis pedibus viam confecit, tantâ omnium lætitiâ plausuque, vt non à funere, sed triumpho venientes videre te crederes. M. CCC. LXXXIII.

CAPVT XXII.

Puer ad vitam plorando amissam redit.

NVlli mirum videbitur, si, quæ vitæ Auctorem peperit, idemtidem mortalibus vitam restituat. XXV. *Apr.* Nimirum eius Matris propè immensa est etiam in adoptiuos filios charitas, quæ in Ioannem Wildium, puerum infantem, admodum illustris extitit. Gisbertus Arnoldi Outhusdanus parens fuit, eximio item in puerum amore. Ceterùm charissima parenti soboles, in cunis acquiescens, siue morbo, siue aliâ intemperie agitata, in tantum eiulatum erupit, vt ab ancillâ domesticâ sedari nullo modo posset. Et certè plus quàm vagitum esse animaduertens Mater, ipsa, sublato in amplexum puerulo, nihil inexpertum omisit, quo erumpens tam grauiter planctus finiretur. Sed mali, velut remediis exasperati, vehementiam lenire non valens, mulierum ritu viciniam aduocat; partim ad auxilium prolis, partim ad solatium suum. Inter hæc infans ab insolentiâ ac vi cruciatus vltimi ciere spu-

M. CCC. LXXXIII. mas, artus motare, & morti tamdiu reluctari, donec intercluso prorsus spiritu, vitâ excederet. Neque consueta certissimæ necis indicia, oris deformitas, & pallor nigritie fœdâ mixtus, defuêre. Inde vbi conclamatum fuit, cadauer loculo inclusum, & feretro mandatum est: nec quidquam præter iusta funebria lacrymasque supererat. Ceterùm patris, tam repentinâ filij amissione exanimati, eminebat mœror. Ille suam, ille sobolis vicem flebat. Augebat dolorem conspecta vxoris incontinentia, ab adulteri consuetudine vterum ferentis: eoque grauior erat iactura sobolis suæ, quòd alienam domui imminere prospiceret. In has sollicitudines reuolutus, tandem ad cælum tetendit manus, & Siluaducensis Virginis clementiâ memoriam subeunte, ad ipsam transfert cogitationes precesque suas. Hanc mentem illi fortunauit, prolixè respondens optatis, Deus. Siquidem infans repentè non tantùm spirare ac viuere, verùm etiam Diuæ subsidio valere cœpit. Hinc clamor concursusque hominum factus, beneficij magnitudinem in cælum ferentium. Gisbertus, recuperato ex morte filio, exultans, Siluamducis mox contendit; debitoque Virgini honore habito, triticum ac vinum, quantum infantis vitæ recuperandæ deuouerat, donum tulit.

CA-

CAPVT XXIII.

M. CCC. LXXXIII.

Nautæ filium vndis submersum atque extinctum Deipara seruat.

INter vndas periclitantibus MARIAM ceu maris stellam affulgere, prodidit Ioanni Scinnartio, aquis perituro, afferta salus. Hic, cum parente ipsi cognomini, fortè ab Sluså Flandriæ transmittendis Dordracum mercatoribus operam dabat. Iamque Greueni∫sam secundâ adhuc nauigatione præteruecti erant, cùm atrox repentè ventus nauim adortus, vectores nautasque in maximum adduxit metum. Ergo ne cæcis errantes fluctibus, in ignota vada abriperentur, gubernatori curæ inprimis fuit, duplici anchorâ firmare nauem, ac tantisper à cursu temperare, dum deferuescens turbinum vis securitatem nauigantibus redderet. Sed ea tempestas minacior, quàm diuturnior fuit. Hinc sæuientibus minùs procellis, ac cælo iam sereniore vela facere, anchorasque velli placuit. Ad hoc ministerium naucleri simul famulus filiusque impigrè in scapham se demittunt, ac, dum ad anchoram legendam incautè anchorale expediunt, scapha corporibus annitentium subducta vtrumque in fretum excussit: pari quidem discrimine, sed dispari exitu. Puer, quamquam in tantâ perturbatione, tamen in famulum iniicit manus; quòd eum nandi non imperitum recordaretur. At nauarchus tam tristi XXVI. April.

M. CCC. LXXXIII. ſpectaculo exanimatus, primùm lacrymis & comploratione, deinde precibus, ad Diuam præſertim Siluaducenſem, dedit ſeſe. Tum ad exſpectationem cæleſtis auxilij, quod humanam induſtriam plerumque non reſpuit, conatum ſuum ſollicitè adiungit. Namque eiecto in præterlabentem ſcapham rudente, eam pertrahit ad nauigij latus. Intereà famulus non magis ſuo quàm alieno pondere laſſatus, reiecto puero liberat corpus; & iam leuior factus in diuerſum enititur, ingenti virium concitatione fluctus, qui ſe inuehebant, euerberans. Erigebat laborantem magis nandi peritia quàm fiducia Dei. Itaque feſſi mox artus in rapidiſſimos vortices delatum deficiunt,& procellis, quà freti tulit impetus, permittunt. Contrà verò nauarchi filius voce æquè lugubri ac piâ Dei parentem, ſui periculi ſpectatricem, implorans, ceteris etiam audientibus, Nunc,inquit, ô Siluaducenſis Patrona, opitulare pereunti. Nunc meus à te pendet ſpiritus, inter inſanos fluctus, niſi maturè ſuccurris, obruendus. Ergo ne differ opem, Domina, à nullo vmquam fruſtrà inuocata. Ea vox vt audientium lacrymas, ita Deiparæ opem, non in iſto quidem rerum articulo ſubitam, ſed in tempore tamen opportunam, impetrauit. Siquidem omnium ſollicitudine hinc in famulum, inde in puerum intentâ; hic quidem velut occultâ vi admotâ prouehi ac fluitare cœpit; ille verò nequidquam diu obluctatus, tandem momento temporis opertus vndis atque abſorptus periit. Tutior

vtique

vtique futurus auxilio diuino, quàm conatu ſuo. Nauarchus interim ſpe filij recuperandi eò magis exarſit, quòd ex aquis etiamnum eminentem ſpectaret. Cum altero itaque filio in ſcapham deuolat, exanimatum ſaltem filium ad iuſta exequiarum fluctibus erepturus. Sed rapidior vnda violentiùs inuecta iam tanto interuallo puerum ſubduxerat, quantum triplex teli iactus vix æquaret. Quin etiam dum ſcapham moliuntur, dum remos expediunt, ecce tibi, quà prææalto gurgite æſtuabat fretum, ſuperfuſis vndis hauſtus puer in profundum demergitur, ſimul vitæ huius luce, ſimul oculis & pænè manibus parentis excedens. Tam funeſto caſu perculſis ingens dolor, atque ex eo pietas incuſſa eſt. Nauicularius enim Siluaducenſis Diuæ paullò ante inuocatæ memor, eamdem denuò inclamat, pereuntem ſobolem eius tutelæ enixè commendans. Eâ ſpe animo infixâ haud ſegniter nauiculam promouet, ad eos vortices, qui puerum ſubſidentem inuoluerant. Quò vt delatus eſt (quippe oculos ad locum ſignandum amor intenderat) contractum arctiore gyro æſtuarium, feruentiſque aheni inſtar ebulliens, aſpicit. Æger animi Scinnartius, nec an perſeueraret, an abiret, ſatis certus, tandem brachium humero tenus in aquam immittit, & longiùs circumquaque ſcrutando in filij incidit manum. Extractum cadauer fœdam ſanè ſpeciem contemplanti obiecit. Et niſi ſuperſtes filius fraterni vultus fidem conſtanti teſtimonio affirmaſſet, pater ſiue M. ccc. LXXXIII.

per-

M. CCC. LXXXIII. perturbationis magnitudine, siue verâ pueri deformitate victus, ægrè credidisset ad se hoc funus pertinere. Tantum iam gelu, tanta fœditas artus inuaserat. Cæterùm plus valuit in parente, quamuis doloribus obruto, cælestis fiducia, quàm calamitatis acerbitas. Quippe à præpotenti cæli Reginâ rursus implorat opem; neque se mediocribus votis onerat: Abiturum nempe Siluamducis, laneâ veste, nudis pedibus, nullo per viam commeatu præter panem & aquam vsurum: adiectis insuper donis Virginem culturum: ad vltimum, ab omni carnium esu mensam, à lucro quotidiano manus temperaturum, donec seruatrici Diuæ filium seque stitisset. Voto spes vouentis citiùs quàm miraculum successit. Ergo gnauiter Ioannes admouere cadaueri manum, pedibus in altum sublatis pueri caput demittere, agitare membra, nihilque omittere quo citiùs humor præcordia circumfluens laxaretur. Sed mors ita dentium septa occluserat, vt aquæ exitus non pateret. Inter hæc fortè nauta præternauigans, animaduersâ laborantium curâ metuque, facili consilio suggerit, vt patefactis vi dentibus aquæ viam recludant. Quo facto, quamquam supra duos aquæ cantharos ferè puer reuomuit, paternos tamen dolores nullo vitæ signo mitigauit. Dentes etiam quos dexteræ manus inserto indice recluserat pater, ita repentè coïuerunt, vt retinuerint demorsum frustum digiti ægrè subducti. Hinc scaphâ ad maioris nauigij latus applicatâ, reuinctâque, translatum ex eâ cadauer, iam

plus

plus quàm tres horas exanime, redintegrauit mœrorem & gemitus affluentis turbæ. Itaque preces omnium questibus mistæ exaudiebantur, auxiliatricis Diuæ numen implorantium. Nec mora: quotquot illâ naui vehebantur, ad vnum omnes in genua suppliciter decumbunt, & (vt desperatio religionem acuit) conspirantibus animis vota multiplicant: Carituros omnes calceamentis & lineâ veste in peragendo Siluamducis itinere; itemque omisso carnium esu ad panem & aquam nihil prætereà cibi adiuncturos; nec absfutura dona conuenientia cuiusque fortunæ. Non vltra tot supplicum deprecationes clementiæ Mater differre sustinuit; eo præsertim die, quem cælestis caduceator Gabriel iam olim mortalibus lætissimum reddidit annuntiato Dei in terras aduentu. Ergo siue precum vim, siue omen dici, seu denique potentem Virginis manum, extincto mox reddita vita prodidit. Iamque cunctis miraculo attonitis rediuiuus puer, perinde quasi fauces collueret, motare linguam, & hiante ore strepitum primò ciere, deinde vocem edere cœpit: &, Periclitanti, inquit, mihi & iamiam perituro dulcissima Siluaducensis Domina præstò fuit: hæc fluctuantem direxit, gurgitibus mergendum sustinuit, exanimato opitulata est. Hac adiutrice fretum, plus quàm CLX. cubitis altum, euasi. Nec leuis habita est puero fides, tamquam oraculum inter compertos Numinis fauores fundenti. Parentes autem ceterique postquam secundâ nauigatione Dor-

M. CCC. LXXXIII.

L dra-

M. CCC. LXXXIII. dracum appulerunt, vnà cum Ioanne filio, tanti miraculi indice vnico, Siluamducis ire contenderunt, votiuæ religionis tenaces. Testimonia affirmantium à compluribus Sacerdotibus, vt de re maximâ, excepta sunt. Munera cum gratulationibus oblata. Virginis misericordia, Deique prouidentia deprædicata, ipsorum quidem expectatione paullò quidem tardiùs, sed & longè potentiùs opitulantis.

CAPVT XXIV.

Naufragio erepti non pauci.

XXVI. *April.* IAm verò ab vno ad plures hæc Stella maris auxiliares radios extendit. Octodecim vectores siligine onerauerant nauem, Dantisco Prussiæ in Batauiam, adultâ propè hieme, vela facturi. Nauarchus fuit Ioannes Venius, Amsterodami tum habitans. Atque is secundo quidem cursu ostium tenuit, quo Mosæ fluminis impetus accipitur mari. Iamque in ostij sinum penetrabat nauis, cùm ex improuiso incumbens Circius ventus, periculosæ tempestati initium dedit. Mox enim æstuare salum, & crebros ex alto fluctus euoluere, demum erigi, miscentibus cælum turbinibus, cœpit. Hora diei iam ad meridiem vergebat: sed densa repentè caligo ita nauigio circumfuderat sese, vt perspici cælum vix posset. Ac modicus primò labor, vtpote nascente adhuc periculo, fuit. Vbi verò se tota procellæ vis laxauit, nemo sociorum naualium fuit,

fuit, quem non præsentis naufragij terror ad omnem M CCC.
sedulitatem acuerit. Itaque pro se quisque ministe- LXXXIII.
ria gnauiter expediunt; donec nebulâ contectos lux
omnis destituit. Qui puppim occupauerant, non
cernebant proræ intentos. Credebat quisque sibi vlti-
mum vitæ terminum imminere. præsertim cùm ex in-
teritu proximarum nauium, præsagirent facilè per-
niciem suam. Tantum quippe incertæ lucis subinde
è nubium tenebris erumpebat, quantum tristem in
propinquo pereuntium nauium speciem posset osten-
dere. Interim nouus terror affertur obuersante mor-
tis imagine dudum attonitis. Namque inhorrescens
etiam vehementiùs mare, conspirante vento, tantam
aquæ vim in celocem excussit, vt quidam marino
nimbo prorsus essent operti, alij genuum tenus in
aquis hærerent. Quibus tamen plus animorum su-
perfuit, demissâ bolide explorantes altitudinem ma-
ris, vix sextum cubitum se abesse sentiunt à vado. Er-
go periculum erat, ne in breuia cæcasque syrtes adige-
rentur incauti: æstu maximè quidquid vndarum cir-
cumquaque furebat ad nauem conuerrente. Tum
pristinis maior fluctuum moles, totoque altior malo,
certum impetum in nauem obuertit. Hærebant exani-
mes, ac velut in maximi montis ruinam, quo iamiam
opprimerentur, intenti. Nemini dubium erat, quin
puncto temporis nauigium aut dorsuosis arenis illi-
sum in partes dissiliret, aut certè plùs vndarum accipe-
ret, quàm egeri atq; exhauriri vllâ nautarũ contentio-

M. CCC. LXXXIII. ne possct. Igitur primùm animi, deinde corpora metu exanguia defecêre. Soli nauclero amor vitæ desperationem exemit. Is haudquaquam abiecto animo, quoad per tempestatem licebat postulato silentio, adhortandam sibi turbam naualem ratus, In rebus, inquit, asperis ac desperatis, socij, piissima quæque consilia tutissima sunt. Humani certè auxilij nihil superest; diuini verò etiam non ampliùs, quàm nostra pietas nobis addiderit. Hæc, quam exhorrescitis, vnda nos inuoluet, nisi cælestis adfuerit tutela: quam supplices mecum à Siluaducensi miserorum auxiliatrice deposcite. Salus voto redimatur. Diua vel in ipso mortis limine iacentes eripiet. Periculi magnitudini pietatis promptitudo respondeat. Sin pereundum est, vltimum vitæ actum claudat religio. Hæc elocuto vniuersa multitudo assensa est. Tum verò tendentes in altum manus, neque precibusneque lacrymis, quibus sua in MARIAM Virginem studia profiterentur, temperauerunt. Vna vox audiebatur, pari emissa consensu, Diuam vouendâ peregrinatione concilliantium. Inter hæc sublimis ille ac fatalis fluctus, quem concursus ventorum tantisper suspenderat, acriore flatu concitatus rectà in nauigium ferebatur. Iamque proram minaci arrectus assultu inuadebat. Sed nautis contra enixè obtendentibus precum vim, & MARIAE nomen tutelare identidem ingeminantibus, primùm, velut obiecto aggere, stetit impetus, in se ipse reuersus. Tum ingenti fragore strepere, ciere spu-

mas,

mas, & sequentium vndarum impulsu, cœpit rursus attolli, nihil tamen præter minas & rabiem ostentans. Ac mox, cùm tectam pietate nauem superare non posset, retrorsum, vnde venerat, reflexit sese, atque in proximos gurgites delapsus euanuit; nullo, præter aspergìnem, sui relicto vestigio. Exinde erumpens solis nitor, repentinâ luce tetram illam caliginem penitus abstersit; serenitatem cæli confestim quoque subsecuta est tranquillitas maris. Sed & nauis vento nequidquam reluctante aduersoque in altum vela dedit breuibus emersa, & iam secundo miraculo seruata. Vt verò reliquum tempestatis ac turbinum desæuiit, tum demum nautæ animum tentando vado aduertêre. Primò quinæ, mox septenæ vlnæ in profundum demissæ sunt; idonea nauigationi altitudo. Quod vbi perceptum est, altera fuit cura, aptare vela, rudentes tendere, quassata ac ferè lacera armamenta recolligere, clauo incumbere, & solita nautici ministerij obire munia. Alacres igitur, atque insperato gaudio gestientes pristinum repetunt cursum, &, Mosæ ostio feliciter superato, in optatum decurrunt portum. Lætis intereà vocibus personabat nauis, & Siluaducensi Virgini, cuius præsens auxilium experti erant, enixè gratulabantur: donec egressi in terram incolumes ad vnum omnes, suorum quisque lætitiam non tam reditu, quàm reditus modo, vehementer auxerunt. Proinde spatio ad recognoscendum miraculum dato, præterita omnia debitâ æstimatione pensare cœ- M. CCC. LXXXIII.

 perunt.

M.CCC. LXXXIII. perunt. Succurrebat ventorum atrocitas, nebularum caligo, fragores insoliti, atque inprimis vndarum illa moles, iam iamque ceruicibus trepidantium incumbens. Hinc in vltimâ humani omnis auxilij desperatione ac solitudine repentina malacia & cæli serenitas. Denique iactura nulla in nauigio non ita magno, & longè supra humanæ staturæ altitudinem repleto aquis. Horum non tam memores, quàm præcones, neque periculi sui obliuisci poterant, nec de cælesti beneficio silere. In omnium igitur ore atque sermonibus res fuit. Bernardus Swyngius Bremensis, omnium sociorum suffragio Siluamducis missus, vt eorum vicem apud Diuam obiret, miraculi modum, vti interfuerat, sic fideliter enuntiauit, dono quoque nomine cunctorum oblato.

CAPVT XXV.

Puerum morbus comitialis, Siluaducensem ciuem triplex cruris vlcus deserit.

XXVII. *April.* SEd crebriora sunt morborum pericula, quàm aquarum. Atque ad morborum remedia redeunti offert sese Henricus Backerus, Bartholomæi atque Aleydis Amsterodamensium filius; qui adeò grauiter comitiali morbo prosternebatur, vt is parentes, damnatâ hominum ope, ad implorandum Diuam Siluaducensem compulerit. Placuit Virgini votum, & repentè puerum sanitati restituit. Is mox à parentibus

tibus Siluamducis adductus est, votaque, vinum ac frumentum, impensè reddita. Inter Siluaducenses ciues fuit Ioannes Quirinus, cultrorum opifex, Vuchtensis vici incola. Sinistram eius tibiam tres omnino fistulæ fœdabant, insuperabile ac pertinax malum. Medicus enim vltima remediorum expertus, vt desperatâ curatione, cœpto absistebat. Neque Ioanni vltra Medicorum artes cordi fuere, in propinquæ Virginis beneficia spem erigenti. Quocirca sacellum eius tot miraculis illustre adire constituit, atque hoc piæ mentis decretum voto confirmat. Solatij verò impetrandi minimè dubius, fascias medicamentis imbutas fidenter de tibiâ detrahit, & intactum purumque linteolum circumuoluit. Placuit benignæ Virgini cultoris sui in ipsam fiducia, & cælestem vlceribus medicinam fecit. Quippe intra tertium diem illius membri vsum sibi redditum sentiens æger, non tantùm insistere pedibus, sed incedere quoque per se nullo adiutore, & Virginis ædiculam lustrare valuit, ad votum & gratias cum fide exsoluendas.

M. CCC. LXXXIII.

XXVII. April.

CAPVT XXVI.

A graui lapsu ægra mulier sanitate recreatur. Crura infantis puellæ emendantur.

VBique Deipara incurrentibus periculis & cladibus superior apparuit. Erkelæ contigit, vt, cùm fortè ad moribundum quempiam Sacerdos præteriens

XXVII. April.

M. CCC. LXXXIII. iens cæleste Viaticum deportaret, Sophia Rudolphi Romani coniux, tintinnabuli pulsu excita, ad ianuam accurreret, siue visura quænam domus peteretur, seu potiùs adoratura præsentem Deum. Sed festinatio sic gressum præcipitauit, vt velut oblita sui, in obuiam aliquam sedem impingeret, ac prostrata collaberetur. Eoque lapsu dudum exanimata iacuit, mortuæ similis. Vt verò ad sese rediit, acerrimo cordis dolore cruciari cœpta est. nec vlla requies dabatur. Quatuordecim omnino noctes inter præcordiorum tormenta gemitusque consumptæ sunt. Sed quantum in morbo discriminis erat, tantum ægræ eiusque marito fiduciæ fuit in Siluaducensis Virginis benignitate. Hanc maritus inprimis orat atque obtestatur, vt saluti vxoris maturè succurrat. Auditæ confestim preces, & mulieris infirmitas sublata, effecerunt, vt ad sanctissimam Patronam nullâ interiectâ morâ lætantes profecti sint. Agatha quoque triennis puella in

XXVII. *April.* eâ Gasbekanæ ditionis parte, cui nomen est à Puteo, nata, remedium à Diuâ accepit. Hæc tibiis erat incuruis, atque in diuersa diductis, magisque reptare apta, quàm incedere. Quo in malo cùm diutiùs puellæ perseuerandum esset, quod ea membra quibus totum corpus sustinetur, ferendo oneri cederent, gressumque impedirent, mater non minùs suam quàm filiæ vicem sollicita, expetiit supplex opem Siluaducensis Diuæ. Precationi votum addit, si filiolæ tibiarum vsus concedatur, eam ab se Siluamducis primo quo-

quoque tempore delatum iri. Voti nuncupationem, M. ccc. LXXXIII.
non repentina quidem, ſed conſtans intra menſem ſanitas excepit. Tum itaque non tantùm leuare ſemet, ſed etiam pedibus ingredi Agathæ licuit; inſtabili gradu non vltrà fallente. Id miraculum matrem ad obeundum votiuam peregrinationem facilè traxit. Ergo Siluamducis cum infante perrexit, quam dudum geſtauerat, inpoſterùm ductura.

CAPVT XXVII.

Piratæ cæduntur à nautis Virgini deuotis.

NVnc vel vnicam cogitationem animi tacitè ad xxx. *Apr.*
Virginis præſidium conuerſi prædonum armis potentiorem fuiſſe, proditur. Gisbertus Cuenræus Dordracenus, cum Oliuerio Ioannis, Ioanne Bertoldo, Lamberto Nicolao, aliiſque partim mercatoribus, partim nautis, haud procul Ambianis (quod eſt fertiliſſimum Galliæ Belgicæ horreum) in decem onerarias minores triticum impoſuerant, in patriam vela daturi. Ibi Somona amnis vberes campos interſecat, euehendis frugibus alueum intendens. Gisbertus cum ſuis ſecundo amne defluxerunt in mare. Septem millibus Caleto aberant, cùm myoparonem piraticum ſublatis armamentis aduentantem conſpiciunt. Nimirum ipſorum merces ac vita petebantur. Prædatoria nauis vt celeritate præſtabat, ita breuî mercatoribus aduerſa conſtitit, omni armamentorum genere ornatiſſima.

M Eam

M.CCC. LXXXIII. Eam XL. piratæ impleuerant, loricis galeisque & cetero apparatu perarmata manus. Secures, hastæ, conti, bipennes, arcus expediti erant; neque exiguus saxorum modus. Ex summâ prorâ quatuor balistæ eminebant, totidem tela missuræ. At mercatorum naues, nihil præterquam numerus erant. In iis hasta vnica, duo gladij, gesa item duo, vnumque prætereà telum, producebantur: tum pauci lapides, in saburram veriùs quàm in pugnam collecti. Ergo prædones, velut adeptâ iam victoriâ, ouantes, in medium Batauorum agmen incitant sese. Acriter vtrimque concurritur. Illi armis, hi animis paratiores fuêre. Hos vitæ, illos prædæ vrgebat amor: cumque his ad pugnam deessent omnia, nihil tamen ad virtutem defuisse visum est. Vt enim cominus prælium factum est, Bataui inermes admirandâ audaciâ ex suis nauibus in hostium nauim transilire non dubitant, & extortis hosti armis, dimicatione æquatâ, longè superiores ardore, rem feliciter gerunt. Nec iam missilibus submoueri poterant mercatores nautæque, sic vndique in myoparonem euaserant. Multi igitur latrones impunè vulnerati, reliquos ad curam semetipsos tuendi conuertebant. Nec longiùs à tantâ virtute vindicare se possunt. Itaque partim in naui iugulantur, partim præcipitantur in salum; atque ad vnum omnes, cum ipso duce, in profundum ruunt. Depressum quoque nauigium, nihil, quod ad impiam turbam pertineret, reliqui fecit. At victores postquam re præclarissimè gestâ

geſtâ receperunt ſeſe, tum ad corpora curanda, tum ad recognoſcendum ſaucios & interfectos; animaduerterunt ſocios omnes, nemine omnino deſiderato, tam cruentæ dimicationi ſupereſſe. Ergo hærent ſimiles attonitis atque ſtupentibus: auxitque admirationem imbellis paucitas, cum armatorum hoſtium numero, ipſorumque conſeruatio cum illorum occidione atque pernicie comparata. Mox verò vbi altior quies ſermonis copiam præbuit, inuſitatum miraculum non vnus aliquis, ſed pariter vniuerſi prodidêre. Singuli quippe viritim profeſſi ſunt, ſe in primo prælij auſpicio votum Siluaducenſi Diuæ in animo ſuo nuncupaſſe. Quæ mens cùm omnibus eadem eſſet; ſatis conſtat, illam deinceps Virginem galeæ, illam ſcuti, omniſq; armaturæ fortium, vice fuiſſe. ab illâ directa in hoſtem tela, & dimicationis progreſſum velut caſtrorum aciem ordinatam. huic vni victoriam deberi, cum ipſorum ſalute, ac duplici miraculo coniunctam. neque magis mirum eſſe, à modicâ atque inermi manu complures armatos concidi delerique, quàm diuerſis hominibus, vitæ ſuæ tuendæ intentis, vnam atque eamdem cogitationem implorandæ Virginis diuinitus immitti. Inter hæc ad portum deuentum eſt: exin terreſtri ferè itinere Siluamducis perrectum: ibi MARIAE Victrici dona preceſq;, præſertim ab iis quos ſuprà indicauimus, oblatæ; agnoſcētibus omnibus duplex in vno caſu miraculum, atq; id prælium nō euentu felicius, quàm pietate religioſius fuiſſe canentibus.

M. CCC. LXXXIII.

M 2 CA-

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT XXVIII.

Insanæ mulieri mens redit.

1. *Maij.* NEque mortalibus miseriarum, neque Deiparæ remediorum est modus. Quidquid homines possidemus, morbi impetunt: nec tantùm doloribus corpora, sed etiam rationem, ceu arcem, hostili amentiâ perturbant. Nihil tamen obstare tutelæ Virginis, indicat Elisabethæ Gorlæanæ mulieri restituta salus. In hac enim cùm mox à Paschalibus feriis mens labare cœpisset, nec tantùm intra verba desiperet, sed paulatim violentiùs se gereret, ne quam sibi alterive noxam crearet, sub D. Ioannis Baptistæ natalem asperioribus coërcitionibus continenda fuit. Sed & violenter quædam manu facere, vbi maximè vrgebat furor, & inconditè bacchari cœpit. Quamobrem in tenebris habita, & catenis ferroque compedita est. Sed illa onera veriùs, quàm remedia fuêre. Hac in miseriâ sextum ferè mensem deinde extraxit, admodum grauis sibi, viroque. Cui cùm multum spei esset in virtute Siluaducensis Diuæ, ardentibus votis eam coniugi afflictæ propitiat, eo remedio nullum certius, nullum præsentius repertum iri ratus. Atque ita vxorem Virginis fidei committit. Ea pietas præmium tulit Elisabethæ sanitatem. Quippe mens à pristinâ perturbatione abducta breuî constare cœpit, & consilio ac ratione, vt quondam, pollere. Demptis itaque vincu-

vinculis, libera mulier cum Arnoldo Noydio Rilano, marito suo, Siluamducis profecta, incredibile dictu est, quàm libenti prolixoque animo exequeretur, quæcumque eius nomine promissa Diuæ erant: marito præsertim non tam participe, quàm ductore. M. ccc. LXXXIII.

CAPVT XXIX.

Puellæ aquis submersæ vita datur.

AMsterodami fluuius Amstela portum efficit, qui ad mediterraneum Batauiæ adigit fretum. Hic portus altitudinis haud modicæ pontibus iungitur, & permagnis quoque nauigiis transitum præbet. Vnum ex his pontem cùm Petri Wysseni vxor cum filiolâ Zutâ ascendisset, miserando sanè casu vtraque in profluentem ex alto decidit. Mater tam diu flumini obluctata est, donec aduolantibus maturè auxiliatoribus, in ripam semianimis euasit. At filia priùs aquis demersa est, quàm suppetiæ ferri possent, & matris seruandæ studium operas à filiæ periculo defendendo auerterat. Conscensâ tamen scaphâ nonnullis curæ fuit expiscari puellæ cadauer. Quo deprehenso, superuenit Petrus, dubius animi, vxorísne salute lætaretur, an lugeret filiolæ necem. Sed vicit lætitiam dolor, & curam eius acuit ad quæcumque auxilia circumspicienda, quærendaque. Circiter meridianum tempus dies attigerat, cùm parentibus cogitatio incessit, maximè propinquum solatium occupandi. Eâ II. *Maij.*

M. CCC. LXXXIII. quippe tempestate Amsterodami diuina Eucharistia non vulgaribus miraculis,& magnis populorum concursibus celebrabatur. Huc ergo extinctam puellam deferunt, & prostratis corporibus, lacrymisque vbertim profusis, ingenti animorum ardore cæleste Numen deprecantur. Sed iam nox appetebat, puellâ interim nullum sensus, nullum vitæ indicium prodente. Neque tamen dilatio miraculi supplicibus dempsit spem sobolis recuperandæ. Cogitantem maximè matrem, an nihil vndecumque opis superesset; subit, ingentia Siluæducis edi miracula à Deiparâ Virgine: fortè à Matre obtentum iri, quod distulisset Filius, cui eius, quam ante omnes dilexisset, honor, non minùs, quàm sua magnitudo cordi esset. Filio certè tali haudquaquam displiciturum parentis venerationem, cultumque. Ergo Dei genitricis misericordiam sibi filiæque conciliat, promissâ eidem librâ vnicâ votiuæ ceræ. Ac Dei Filius, beneficium negando, ad Matris suæ benignitatem dimisisse mulierem videtur, vt & robustior esset illius repetita pietas, & manifestum fieret, insignia gloriæ ipsi cum Reginâ Matre esse communia. Repentè igitur puella non dumtaxat oculos, sed etiam corpus alleuare cœpit, à morte, tot iam horas tenente, haud dubiè excitata. Tum finis lacrymis atque dolori factus est; lamentatione parentum in laudem atque præconia Dei Deiparæque cedente. Simul verò Siluamducis ventum est, nihil eis potius fuit, quàm vt sacellum Virginis adirent, maximum-

mumque beneficium exiguo saltem dono testarentur. Ita Dei Filius impiis MARIAE hostibus auctor fuit, ne Matri suæ honorem detraherent, in quam ipse debitum sibi decus benignè transtulit. M. CCC. LXXXIII.

CAPVT XXX.

Puer item submersus reuiuiscit. Claudus gressum recuperat.

NOn dissimili pernicie Brakelanum puerum Hugonem Siluaducensis opitulatrix exemit. qui puer cùm se Gisberti Kocci atque Gertrudis, parentum oculis subduxisset, in cauernam aliquam stagnantem prolapsus est, nulloque opem ferente demersus. Plus quàm solidam horam in profundo iacuerat, cùm deprehenditur vitæ & humani coloris, vultusque omnino expers. Quippe mors fœdam illuuiem offuderat, pristinâ specie sublatâ. Tum verò parentes accurrunt dolore exanimati; & filioli corpore, sicut adhuc rigidum erat, ante ipsos posito, gemitu eiulatuque miserabili augent complorationem viciniæ circumstantis mœstæque. Interim incertæ consilij matri memoriam Siluaducensium miraculorum diuina prouidentia obtulit. Inde confirmatis animis vterque peregrinationem vouent. Nec diu cunctata Diua, vitam puero, parentibus sobolem reddidit. Illi verò gratulabundi eò se contulerunt, vnde finem ipsorum luctui profectum esse non ambigebant. Exinde 11. *Maij.*

Ioan-

M. CCC. LXXXIII. IV. *Maij.* Ioannes Papius Roterodami iacuit, circiter bimestre, sinistro genu æger. In tibiam quoque totam malum irrepserat, nullâ incedendi facultate relictâ. Et quoties æger promouendus erat, quamquam aut fulcris aut alienis viribus vteretur, doloribus tamen maximis premebatur. Cùm nullum consilium, nullam humanam opem non adhibuisset; diuinam etiam tandem implorauit. atque ea fuit humanis auxiliis facilior, promptiorque. Nam Diuæ Siluaducensis inuocatione primùm roboratus, deinde sanatus fuit; & votum Siluæducis professus, relictis ibi fulcris ad celebrandam miraculi fidem, pedibus domum repetiit.

CAPVT XXXI.

Nobilis feminæ fœdus cancer abigitur.

IV. *Maij.* LOngè grauioris periculi neque minùs insanabile malum fuit, quo Annam matronam nobilem Deipara leuauit. Ea mulier Ioanni Corfio, Brabantiæ Ducum quæstori, nupta erat, pectus exitiali noxâ contactum gerens. Cancer quippe eam corporis partem non solùm tabe, sed vermibus etiam depascebat. Iamque tam altè penetrabat ea pestis, vt breuî præcordia, ipsumque adeò cor infestatura videretur. Et quamquam is morbus desperationem ægræ subinde adferret; attamen remediorum curam omnem auferre non potuit. Hinc ab ipso diluculo ferè ad meridiem medicato liquore vitiosam partem indies diluere,

luere, & medentium consiliis obsequi dudum insti- M. CCC.
tuit: donec ab omnibus deserta, ex quotidiano do- LXXXIII.
lorum incremento facilè perspexit, nullum nisi in morte superesse solatium. Eo in statu sex menses exegit, cancro vermibusque, consumptâ iam extimâ carne, ad vitalia magis ac magis festinantibus. Nihil igitur illâ muliere desperatius. Amici frequentes aderant, non tam leuando morbo, quàm fortiter perferendo solatia promentes. Fortè autem mentio incidit clarissimorum miraculorum, quibus Deipara Virgo id temporis & Siluamducis illustrabat, & incredibiles mortalium calamitates pellebat. Quâ commemoratione accensa repentè mulier, inter dolores luctusque, ad cælum orationes seque conuertit. Inde ardentibus oculis vultuque effusiùs lacrymans, Diuam etiam atque etiam obtestatur, vt dexteram illam, tam multis benignam ac salutarem; sibi quoque præbere, & in vltimo discrimine vltimum remedium adhibere dignetur. Nec incassùm ea precatio fusa est. Ipso enim temporis puncto, quo finem orandi Anna fecit, ita cancer omnis abscessit, quasi numquam eam mulierem contigisset: auxilio pænè ipsas preces, non solùm expectationem præcurrente. Anna verò in gratiarum actionem effusa, votiuæ deinceps peregrinationi obeundæ, soluendisque Diuæ muneribus minimè defuit.

N CA-

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT XXXII.

Membrorum amissum vsum tres omnino recuperant.

TRia miracula magis loco, vbi sunt edita, quàm morbi genere diuersa coniungere placuit. Ante
v. *Maij.* alios Petrus Vander-Heydius Rodanus cælestis medicinæ vim expertus est. Lapsus erat, cùm vehiculum oneribus graue sinistrum eius pedem obtriuit; acerbâ, non tantùm diuturnâ, etiam in tibiam transeunte plagâ. Igitur gressus haudquaquam compotem alieno auxilio gestari necesse erat. Verùm huius insolentia leuaminis ad Siluaducensia remedia eius animum vertit. Quocircà vouet, se Diuam aditurum; votoque sub auroram emisso, circiter meridiem sanitas adfuit, ac suis eum pedibus, ad Diuæ aram, quò
vi. *Maij.* eundum erat, perduxit incolumem. Hunc Quirinus Ioannis secutus est, patriâ Schonrewordanus, tertium ampliùs mensem manibus æger. Quippe vtraque primùm manus ita debilitata languebat, vt nullam officij partem impleret. Quod vitium ad cubitos progressum, atque incredibili tormento miserum lacerans, simul quietem omnem, simul vocem homini eripuit. Ille tamen post interuallum ad se reuersus, quantum exhaustæ vires permittebant, Sanctè, inquit, polliceor tibi Siluaducensis Diua, si opem tuam mihi propitiam sensero, hisce manibus, quarum vsum nunc adimit dolor, munusculum aliquod,

quod, magis quidem congruum tenuitati meæ, quàm M. CCC.
tuæ dignationi, deferam ad aram tuam. Quàm grata LXXXIII.
Deiparæ oblatio fuerit, euentu doctum est. Nam
subitò sublata vis mali, statim quoque hominem ad
soluendas patronæ grates Siluamducis exciuit. In VIII.
tertio præcedentium duorum miserias morbus con- *Maij.*
iunxerat. Nam simul manibus pedibusque sic labo-
rabat, vt omni eorum motu priuaretur. Nomen ægro
fuit Ioannes Caudouenius, patria Borkenia Westpha-
liæ oppidum, vxor Elsbena. Hæc miserta viri, sextum
iam mensem prostrati, siue à doloris magnitudine,
siue à remediorum inopiâ; ab vnicâ cæli Reginâ ia-
centem erigi posse credidit. Quam cùm nunc preci-
bus, nunc votis, nunc offerendis piaculis marito con-
ciliasset; is octauum intra diem membrorum om-
nium compos, non tantùm ad surgendum conniti,
sed ad laborandum quoque vires intendere potuit.
Vxor sicut votum pro coniuge, ita pro eodem etiam
iter suscepit; ac cum Bernardo Koeberghio, bonaque
viciniæ parte, coram Siluaducensi Diuâ, salutem vi-
ri, ab ipsâ profectam redditamque professa est.

CAPVT XXXIII.

Puer comitiali morbo leuatur.

POst hæc haud parua res Siluæducis, in ipsâ mira- IX. *Maij.*
culorum arce, accidit. Henricus Marcelli atque
Aleydis Vuchtensem vicum incolebant, vnà cum filio

 Petro.

M. CCC. LXXXIII. Petro. Morbus comitialis ab infantiâ hunc puerum inuaserat, vltra decennium perdurans. Frequentem huiusce morbi curationem iam tum experta Christianorum pietas diuo Cornelio adscribebat, præsertim apud vlteriorem Aquisgranensium regionem miraculis inclyto. Huc semel iterumque profecta mater irritas fuderat preces; Deo abnuente foris peti sanitatem, quam ipsius Parens domi exposcentibus abundè præstaret. Aleydis igitur ad domesticum remedium obtinendum vota admouet, Diuam implorat, sanitatem filij vino ac frumento pensaturam addicit. Et magna vis voti fuit. Nam puerum deinceps morbus, matrem verò sollicitudo deserüit; vterque Deiparæ Virgini gratulabundus memoriam pristinæ miseriæ in Diuæ laudationem vertit, donis, prout votum exigeret, copiosè persolutis.

CAPVT XXXIV.

Puellæ cæcæ visus, mortuæ vita restituitur.

x. *Maij.* NOn minùs externa, quàm domestica pietas quandoque prodest desperatis. Exemplo sit Elisabethæ Franckeniæ religiosa beneuolentia. Cùm enim Bernardo Bolæo, eiusque coniugi Barbaræ, filiola esset Sweueldis, quàm circumfusa tempestatis violentia, perstrictis oculorum luminibus, iam ante sesquiannum cæcam reliquerat, Elisabetha ætatis illius & calamitatis miserta, alienam cladem curare con-

conſtituit ſuo labore, precibuſque. Diuam ergo Silvaducenſem veneratur, & pro recuperandis puellæ luminibus votiuam ei peregrinationem promittit. Auditæ confeſtim preces, & voti pretium, puellæ oculi fuêre. Namque acceptâ mox luce, quamlibet rerum ſpeciem non modò admittere, ſed etiam diſcernere puella potuit; conſtante vſu videndi, euidentiam miraculi aſſerente. Cæleſtis autem fauoris magnitudinem viciniæ quoque fauor excepit. Non pauci enim è loco Cliuiæ proximo (Nucteram vocant) cæcitatis abactæ teſtes, Siluamducis vſque Eliſabetham cum puellâ profecuti ſunt. Eodem die nuntiatum eſt alterum miraculum ſuperiore tantò nobilius, quantum hominis vita ipſius oculis præſtat. Quod miraculum Wiggero Guilielmi atque Hadewigi coniugibus Goudanis obuenit. Eorum quippe filiola Margareta in aquas delapſa, duabus iam horis in fundo hæſerat, immaturam ſortita mortem. At parentes diu fruſtrà quæſitam, tandem ſubmerſam conſpicati, adfluentibus quoque auxiliis, in oram educunt, luſtrantque. Sed immobilem vis frigoris aſtrinxerat, letali ſquallore per vultum artuſque diffuſo. Sic parentum manibus excepta eorum dolorem identidem renouabat; donec ardentior in aduerſis pietas remedium inuenit. Namque vnâ voce ac mente ad Siluaducenſem illam, omnibus ſalutiferam, tutelam conuerſi, vnumque in votum conſpirantes, vſitato id temporis vini ac tritici munere, Diuam ipſis natæque conciliant.

M. CCC. LXXXIII.

x. *Maij.*

M. CCC. LXXXIII. Vix abſoluerant votum, cùm ecce calor ſtupentia membra commouet; vitaque corpori reddita, ingentem circumſtantium lætitiam admiratione pari mixtam accendit. Parentum gaudium cum propinquorum gratulatione certabat. Itaque inſperato ſucceſſu lætiſſimi, collectâ vicinorum manu, gratitudinis ergô ad auxiliatricis Virginis vrbem perrexêre.

CAPVT XXXV.

Febris puerum deſerit. A cuiuſdam item crure grauis noxa remouetur.

XI. *Maij.* PEtrum, Marcelli Vennij filium, æquè pertinax ac grauis occupabat febris, vltra quartum iam menſem protracta. Itaque non tantùm viribus, ſed etiam voce triduum deſtitutus, ab ipſo mortis limine propè aberat. Verùm parens trepidus, iamque humanis remediis diffidens, maluit opem Diuæ Matris quàm hominum experiri. Vnum ergo precatur, vt ſolatium domus, ſpem ætatis, filium ſeruet ſibi. Tum munere addendo exaggerat preces, ſacraturum ſe argenti, ceræ, ac frumenti, Deiparæ dedicandi ingentem modum. Et voto quidem ſucceſſus optatus, promiſſis autem fides extitit. Nam cedente illicò morbi ſæuitiâ, repentina ſanitas vocem reduxit; eaque valetudinis reſtitutio, non lætior quàm diuturnior fuit. Igitur voti rei, apud aram Siluaducenſem, ſimul accenſis in MARIAE amorem animis ſuis, ſimul debito pollicitatio-

tatio-

rationis votiuæ ſatisfecerunt. Kederipæ, vnde venerant, miraculi celebritas vulgata eſt. His ſucceſſit Ida Ioannis Lathowerij filia, magno item periculo, quod à dextri cruris haud modicâ infirmitate imminebat, Bruxellæ erepta. Ab ſummo poplite ad plantam vſque, omnibus cruris partibus tormentum inſederat, dolore ac pertinaciâ ſummâ. Cùm enim ſextum ampliùs menſem perſtaret malum, crus totum contrahi, & in breuiorem modum arctari cœptum eſt. Igitur omnia remediorum genera, omnia medentium conſilia ſuperando diſcrimini adhibita ſunt, infelici planè conatu. Nec fallebat miſeram imminentis exitij certitudo, quæ, in medio cruciatuum ardore, mentem eius ad Siluaducenſis Virginis obſequium & cultum accendit. Idque vnum afflictæ ſaluti fuit. Nam dolor mox diminutus, poſtridie penitus abſceſſit, facultatem vtique præbens itineris ad ſalutandam Diuam peragendi.

M. CCC. LXXXIII.

XI. *Maij.*

CAPVT XXXVI.

Naufragi, & plures item ægri ſeruantur.

IIſdem temporibus à terrâ ad mare (vti ſæpè aliàs) Diuæ opem tranſiiſſe proditum eſt. Id quod Marcellus & Hugo Valerius Strimondani teſtatum fecêre. Hi nauigium trabibus præcipuè impleuerant: ſed, ſæuâ tempeſtate ortâ, nauis vi procellæ quaſſata primò, deinde etiam euerſa eſt, ac præcipitata in proram. XI. *Maij.*

Sur-

M. CCC. LXXXIII. Sursum alueus, fori deorsum ferebantur. Vna salus erat, quod fortè vndique conclusa nauis, salum excluderet. Ita omnium per quæ iactarentur ignari, solum sibi interitum ancipiti cæcaque æstimatione augurabantur. Nam & nauis pro loculo & vndæ pro sepulcro erant. Nullum restabat tanti discriminis solatium, nisi Siluaducensis Virginis nota benignitas. Hanc votis vrgent (vt in re tam desperatâ) prorsus ardentibus. Præcipuè, si emergant, Siluaducensis viæ milliare vltimum in amictu dumtaxat lineo obituros pollicentur. Ac tum quidem in salo fluctuantes tantum à littore aberant, quantum sagittarius quinto teli missu vix absolueret. Mox tamen diuinitus, etiam antè, quàm auxilium expeditum posset accurrere, in littus incolumes eiecti sunt, tantâ celeritate, quantam ne pacatum quidem mare permisisset. Ibi insperatam salutem immodico celebrantes gaudio, curarunt corpora. Inde modico ad quietem sumpto spatio, sese voti reos Siluæducis in Virginis ædiculâ professi sunt, lineâ veste nitentes. Inter hæc diuersis complurium morbis vnicum remedium à Deiparâ oblatum suffe-
XI. *Maij.* cit. Nam Gerardus Odenus Grauiensis, morbo Her-
XII. *Maij.* culeo, Ægidius Petri Steenbergius, herniâ totum quadriennium onerante, repentè liberati sunt. Nec minùs promptum ab inuocatâ Deiparâ subsidium ad-
XII. *Maij.* fuit Alberto Hermanno Harderwicano, quem citatioris semperque manantis vrinæ profluuium vexa-
XII. *Maij.* bat. Ioanni quoque Oyo Dauentriensi tibia dextra bien-

biennio eneruis; Petro denique Stormio Heenvlitano sinistrum latus longo dolore debile curatum est. M. CCC. LXXXIII. XII. *Maij.* Atque hic quidem ceræ massam vitiatæ parti, latitudine parem, ceteri alia pro se quisq; piacula obtulerunt.

CAPVT XXXVII.

Paucissimi nautæ longè plurimos piratas prælio superant.

INsignis præterea ad memoriam est celocis vnius XII. *Maij.* clarissima de actuariis XVI. parta victoria. Sub mensis Aprilis exitum ad Mosæ ostium, quod iam conspici cœperat, ex alto plenis velis tendebat nauis. Merces erant tum aliæ, tum siligo, & bonus farinæ ac pellium numerus: duodeuiginti, non ampliùs, vectores. His cùm maximè laboris finis adesset (quippe Besoudâ profecti erant) conspecta classis est nauium sexdecim, ipsos petens. Summo illæ impetu ac celeritate ad celocem aduectæ, illicò deditionem imperant, nihil de victoriâ dubitantes. Quippe circiter ducenti propugnatores erant Normanni, ac piratæ. Besoudani cùm neque prædonum impetum fugere possent, & simul numero, simul viribus sese impares cernerent, iamque haud procul exitio essent, vno omnes ore animoque spem vltimam collocant in præsidio Siluaducensis Virginis, malorum omnium victricis. Conclamatum ex omni nauis parte est, hostes numero, ipsos diuinâ niti fiduciâ; nullam virtutem cælesti maiorem esse: neminem frustrà supplicasse

O Sil-

M CCC. LXXXIII. Siluaducensi Virgini, quâ duce etiam victoria obtineri, non modò sperari posset. Hæc tanto ardore effusa, vt etiam minùs forti ac pauido cuique spiritus facerent, adiectâ insuper religiosâ pollicitatione auxerunt. Nimirum si vita concederetur, simulatque terram attigissent, statim abituros Siluamducis, pedibus nudis, laneâ veste indutos: promissioni quoque huic pro facultatibus munera adiecturos. Ita optimæ spei pleni pro se quisque armantur, omnibusque raptim pro tempore instructis, parati atque intenti hostium impetum opperiuntur. Gallus multitudine nauium ac militum ferox, celoci vndique circumfusus, vt, quod minimè rebatur, compositos ad repugnandum hostes sensit, contemptu in rabiem verso, impigrè, non velut ad iustum nauale prælium, sed ad prædam raptim inuadendam aggreditur. Ergo atrocius, quàm pro disparitate pugnantium, certamen exoritur. Sed vixdum concurrerant proræ, cùm liquidò patuit, quid posset innocentia diuinæ confidens opi. Piratæ vana omnia, protegente nimirum Virgine, in celocem tela mittebant. Contrà videres nullum in piratas irritum missile iaci; multos hauriri fluctibus; ceteros ferro absumi: tumultu pauoreque trepidantium, ac morientium, confusa atque permista omnia. vt quælibet actuaria nauis ad celocem proximè affluxerat, ita periculo propior erat. Sed & aliæ ad alias allisæ mutuis cladibus inuicem lacerant, pereuntque. Nec in longum extracta pugna. Nam lassi cædendi satietate victores,

ctores, recognito suorum numero, cùm nullum omnino desiderarent, octo non plures è ducentis piratis superstites viderunt, præcipiti celeritate terga vertentes. Ita Virgine auxiliante è rebus perditis repentè victoriam referunt, qui salutem ne sperare quidem potuissent. Neque minor, quàm pro re, lætitia fuit; sed eò gratior, quòd in tam præsenti exitio tantum ex insperato gaudium affulserat. Ergo nauis vnica de tot armatorum classe triumphum agens, superato Mosæ ostio, in portum concedit. Nautæ in terram egressi cum summa gratulatione, curis aliis tantisper omissis, Siluaducense maturant iter. Mox vota quoque ex fide reddita sunt; ac tam insignis victoriæ series, ab duodeuiginti nautis passim deprædicata, ipsis solatio, ceteris etiam admirationi fuit. Victoris Andreæ, Petri Swederi, Andreæ Luckenbenij supersunt nomina, reliquos vetustas præteriit. M. CCC. LXXXIII.

CAPVT XXXVIII.

Mulieri decies mortuum fetum enixæ viua tandem soboles conceditur. Puer epilepsiâ, puella capitis dolore liberatur.

PRæsentis miraculi decus antecedentium in hac muliere calamitatum frequentia ac magnitudo vel maximè asserit. Namque Ioannes Henrici ex Richardâ coniuge non tam denos liberos, quàm veriùs totidem liberorum cadauera genuerat. Nulli enim è XIII. May.

 tanto

M. CCC. LXXXIII. tanto prolis numero corporis vita, nulli vitale cælestis vndæ lauacrum obtigerat. Continua & pertinax tot funerum series, vt speciem præbebat cælestis iræ, ita pari dolore ac metu augebat miserorum orbitatem. Sed non aliàs grauior incessit anxietas, quàm, cùm imminens vndecimus partus, expertæ toties cladis formidinem redintegrauit. Neque enim magis lugebant præmaturam infantium necem, quàm tot animulas Baptismi Christiani prorsus expertes. His obruti curis, cùm proximè pariendi tempus appeteret, precationem adhibuerunt, conciliatricem vnicam beneuolentiæ cælestis. Nam secundùm Deum spe omni in Siluaducensi Diuâ collocatâ, cum vxore pariter Ioannes vouet, si viua soboles in lucem prodiret, tantum se auri, argenti, frumenti insuper ac vini, Diuæ sacraturum, quantum pro matris ac sobolis retinendâ salute existimaret eidem acceptum fore. Hinc ortâ fiduciâ, satis iam securi periculorum, lætis animis euentum magis felicem præstolantur. Et sanè haud paullò secundior fortuna parientem deinceps mulierem prosecuta, tam commodum illi partum præstitit, vt de accepto cælitus auxilio nemo ambigeret. Quippe valentior, an formosior esset infans, quem ediderat, incertum fuit. Puero inter sacras vndas nomen Theodorum, tamquam verè à Deo eiusque parente dato, indidere. Ceterùm Ioannes cum filiolo, atque vxore maturè à facili puerperio corroboratâ, Harlemo Siluamducis cum lætâ vicinorum manu profectus est, &

votiuas

votiuas preces ac dona, ex promisso Deiparæ Virgini M. CCC. LXXXIII.
annumerauit. Creditum fuit cælestem Reginam ostendere voluisse, se matribus ipsam inuocantibus, non tantùm virginibus, propitiam fore; cùm inusitatâ quadam mixturâ, & virginum florem, & matrum fructum, in se vnà coniunxerit. Eumdem diem haud paullò illustriorem reddiderunt Ioannes Ioannis Brakelius & Margarita Ioannis Dilbekana, vterq; in tenerâ etiamnum ætate non leuibus vexati malis. Et illum quidem comitiali morbo, quem in eâ regione D. Ioanni sacrum volunt, Deiparæ virtus inuocata exemit: hæc autem intolerabili capitis dolore soluta est; cuius magnitudinem primùm tristis intra capitis latebras sonitus, omnem quietem excutiens, deinde recuperatæ sanitatis modus indicauit. Namque implorato Siluaducensis Diuæ præsidio, complures ex auribus puellæ vermes eruperunt, excepto, quòd caudam bifurco mucrone non armarent, cetera scolopendris, quæ ferè in aures mortalium se insinuant, haud absimiles. Quos paullò pòst grandior quidam vermis, ceteris longitudine atque crassitie multùm excellens, subsecutus, omni molestiæ finem imposuit.

XIII. *Maij.*

CAPVT XXXIX.

Octenne ciborum fastidium reprimitur.

MOx quoque pertinaci ac diuturno malo repentinum remedium eadem Diua opposuit; Ioanne Hermanni; post longam octo annorum vexatio- XV. *Maij.*

M. CCC. LXXXIII. nem, ad tam prosperam valetudinem reducto, vt nihil apud ipsum præter morbi memoriam superesset. Is Vollenhouiæ vitam non tam egerat, quàm protraxerat, inter quotidianos vomitus; stomacho omne alimenti genus respuente. Quidquid ciborum, quidquid potionis assumeret, fastidium adeò inueteratum, obsequentibus longo vsu meatibus, egerebat. Hinc non magis languor assiduus, quàm peracerbus dolor, in totum corpus se dispersit; neque victus in vllas membrorum partes digeri potuit. Infirmitatis tantæ magnitudini par diuturnitas in Ioannis exitium spectabat, cùm humani auxilij desperatio diuinæ opis fiduciam excitauit. Etenim animo ad MARIAM Virginem, quod est suauissimum Dei hominumque delicium, piè conuerso, rogare cœpit, vt aliquando tam molesta nausea comprimeretur. Exauditæ sunt preces, & Ioanni subitò non tantùm cibi patientia, verùm etiam desiderium diuinitus redditum est. Cuius beneficij ipsemet testis Siluamducis accurrit; gratiores inposterum cibos sumpturus, quorum & copiam Diua faceret, & saporem miraculo condiret.

CAPVT XL.

In puteo extincta puella ad vitam reuocatur.

XV. *Maij.* LVctuosus Frisiæ puellæ casus haud minora Reginæ cælestis laudandæ argumenta suppeditat. Ea fuit Vlendis, Georgij Lanionis filia, quam in puteum dela-

delapsam illicò mors excepit. Ibi extincta per horam iacuit, donec à Ioanne Petri vicino è profundo extracta miserabile spectaculum parentibus fuit, attonitis, lugentibusque. Nam & pristinus color destituerat vultum, & adstricti letifero rigore artus, speciem habitumque mutauerant. Ac sanè, sicut de puellæ vitâ actum erat, ita de eiusdem restitutione actum fuisset, nisi, abscissâ iam omni ope humanâ, parentum fiducia in cælum spem suam extenderet. Enimuerò parentes & misericordiam Virgini Siluaducensi mouerunt, quà lugendo, quà supplicando. Fecitque puella, repentè in vitam redux, certam fidem beneuolentiæ cælestis. Nihilo quoque obscuriùs parentes docuerunt, orantium lacrymas, gaudiis; desideria, speratis rebus, persæpè mitigari. Igitur lætabundi, cum bonâ viciniæ parte, Siluamducis Staurâ profecti piè destinata perfecerunt. M. CCC. LXXXIII.

CAPVT XLI.

Puer graui casu vitam amissam recuperat.

PAr discrimen, etsi ex lapsu minùs fortassis periculoso, fuit cuiusdam bimi infantis, quem ludentes ac triumphabundi pueri, ætatis illius more, incautè in vehiculum imposuerunt, comportandis cespitibus destinatum. Sed Theodorus (id infanti nomen) nullo eius curam agente, facilè ex curru in terram præcipitatus est, atque è viuis excessit; triumpho ludicro (vti in seriis assolet) celeriter in funus mutato. Et quam- XVI. *Maij*

M. CCC. LXXXIII. quamquam non modica erat circumfluentium puerorum eiulatio; non potuere tamen tempori parentes accurrere, vt Theodoro adhuc spiranti aliquid opis afferrent. Itaque sesquihoram exanimatus iacuit, in Drunensi, vbi casus euenerat, pago. Hîc Ioannes Arnoldi, parens defuncti infantis, dolore primùm æstuare, deinde auxilia circumspicere cœpit, animo Siluaducensia miracula, iam vbique locorum vulgata, retractans. Tum Diuam orare, ac venerari instituit, vt innoxiæ ætati succurreret; cuius virtutem flagitiosi, supplices misericordiam, beneficentiam miseri toties perspexissent. Oratio placidè à fautrice Virgine audita est, & puer ipso illo temporis puncto diuinitus reuixit. Parentes, inuicem inter se gratulantes, munus Virgini promissum ad sacellum eius detulere.

CAPVT XLII.

Fœdum pueri os correctum.

XVI. *Maij.* PArum Deiparæ videtur incolumitatem mortalium tueri, nisi etiam venustati ac formæ consulat. Margarita Ioannis, Dordracena mulier, Ioannem filiolum habuit nondum primi anni infantiâ egressum, vitiato fœdum in modum ore deformem. Quippe dexter oris sinus ad proximam ferè aurem abcesserat, in eo habitu duos menses perseuerans. Sed fusæ ad Patronam Virginem preces, distractas faciei partes in pristinum locum redegêre. Pueri vultus, vt à cælesti

illâ

illâ opifice refectus, non tantùm proportione, ſed etiam ſpecie nouâ ſplenduit, longè ſeipſo formoſior. M. CCC. LXXXIII. Nec aliàs magis intellectum eſt, Siluaducenſem Matris maximæ ſedem Deo cordi fuiſſe. Mulier enim, priùs etiam quàm Siluaducis opem poſtulaſſet, in Dordracenum templum ad ſacroſanctum Chriſti corpus ſobolem depoſuerat; nullo tamen ſolatio recreata. A Siluaducenſi autem Virgine etiam abſens adiuta fuit: non quòd Dei Mater ſit Filio potentior, benigniorque; ſed quòd diuina prouidentia, cuius occultâ tranquillaque moderatione fouentur vtilitates humanæ, ſubinde quædam loca ac ditiones operibus ſuis magis accommodatas eſſe cognoſcat, ac velit.

CAPVT XLIII.

Puellæ duæ à mortuis excitantur.

QVæ in diuersâ regione duabus puellis contigerunt, haud paullò luculentiùs patefaciunt inſignem Reginæ cæleſtis cupiditatem, afflictos, quamuis grauiſſimis calamitatibus, adiuuandi. Eliſabetha enim, filia Margaritæ Vromeleſiæ, ſupremum vitæ diem Caſterlææ obierat, inſuperabili victa morbo. Mater per horam, non voce niſi lugubri, non animo niſi mœſto egit, omnium, præterquam Siluaducenſis auxilij, prorſus immemor. Ergo genibus nixa, omnibus precibus orat, atque obteſtatur MARIAM Deiparam, vt afflictioni ſuæ ſtatuat modum. Nec fruſtrà XVII. Maij.

M. CCC. LXXXIII. XVII. *Maij.* fuit tam pertinax precum vis. Repentè namque ſana filia cum matre ex voto ſupplicatum iuit. Iam & alterius item puellæ interitum peragam, reuocatâ poſtliminiò vitâ vindicatum. Propè abeſt à Dauentriâ pagus quidam, cui à nouâ palude nomen inditum. Eo in pago Petri Henrici filia Chriſtina, exitiali morbo conflictabatur; qui morbus, gliſcente ſenſim pernicie, feſſam fractamque puellam abſumpſit. Membris antequam rigerent compoſitis, cadauer de more in ſtramenta collocatum eſt, lineoque inuolucro coopertum; vultus ferali ſudario obnuptus. Interim veſpera haud parum proceſſerat, quando corpus iamdudum exanime arcâ ligneâ incluſum, & ferculo impoſitum eſt. Tum verò noctis horrore tenebras ac ſolitudinem grauante, parentes mœrorem ſuum inuicem impartientes, liberis fletibus vacare cœperunt. Et omnem quidem conſolationem vincebat dolor, donec cùm poſteri diei luce ſerenitas aliqua affulſiſſe torpentibus viſa eſt. Igitur Petrus, miraculorum Siluaducenſium memoriâ roborante fiduciam animumque, nullâ beneficiorum multitudine exhauriri aut laſſari poſſe benignitatem Deiparæ ratus, eam orare ſupplex inſtitit, vt, cuius fauor neminem excluderet; ſibi quoque in tam acerbo tempore pateret. Nihil ipſum ambigere, quin ſupereſſet apud eam gratiæ locus, quæ apud Deum eſſet in tantâ gratiâ, quantam infinita miraculorum vis, ipſius arbitrio patrata, non vanè adumbraret. Neque ſegniùs Diuæ pollicetur ſimulacrum

crum cereum, quatuor pondo, muneri daturum, si incolumi denuò filiâ frui contingat. Inter hæc duodecim horæ elapsæ domesticos admonebant, vt cetera funeri efferendo necessaria procurarent. Sed aliter superis visum fuit. Parente siquidem inchoatam precationem sollicitiùs intendente, puella ex improuiso indices vitæ lacrymas gemitumque effudit: quo mirè læti omnes, atque è loculo rediuiuam complexi, solutis metu animis vocibusque, gaudium agitare cœperunt. Nec vllam deinde moram interponendam existimarunt, quin quamprimùm Siluamducis, quò votum iubebat, ad B. Virginis signum adirent. Neque mediocriter Diuæ veneratio increbuit, postquam fama per adiunctas regiones manauit, puellam, XII. horis extinctam, reuixisse. M. CCC. LXXXIII.

CAPVT XLIV.

Spiculo altè infixo saucius mirabiliter liberatur.

QVamquam nunc diuturna gratæ pacis otia tristes bellorum furiæ interrumpunt; inter has tamen ipsas spectabile cælestis auxilij trophæum, à mitissimâ Dei hominumque conciliatrice erectum, ad posteros transmittendum est. Nam supplicem sibi Ioannem Bontium, Bruganum domo, opificio sartorem, audaciâ militem, periculoso vulnere saucium, à præsenti pernicie reuocauit ad salutem. Gandenses, adiunctis Brugensium copiis, Aldenardæ vrbis mœnia obsidebant. Hos inter Ioannem Bontium ex ho-

M. CCC. LXXXIII. ſtibus aliquis ſagittâ percuſſit: & fortè in collum incidit telum, dextræ eius parti profundiùs infixum. Nec defuerunt amici qui euulſo promptiùs quàm cautiùs telo, ſpiculum tamen in plagâ reliquerunt. Sed & foramini obducta breuî cutis mucronem retinuit, in intimas colli ſedes abditum, ac latentem. Interim quinque & viginti hebdomadis clauſum vulnus, eò maiores cruciatus ciebat, quò minùs doloris cauſſa ſcrutantium oculis pateret. Cognitâ ergo tum mali pertinaciâ, tum remediorum inopiâ, Ioannes opportunam in Siluaducenſis Diuæ tutelâ medicinam inuenit. Hanc precibus, hanc votis vrget, Siluaducenſem profectionem, etiam ſacrando aliquo munere, cumulaturus. Neque diu dilatus eſt ab eâ, cuius indoles ad benefaciendum eſt propenſior, quàm tarditas humana ad rogandum. Ea quippe nox, quæ proxima fuit precationi, voti effectum aperuit. Poſt paucas horas quieti datas, cuſpis ferrea, cùm quintum iam menſem hæſiſſet intus, non illâ quâ venerat viâ, ſed per os dormitantis excidit ſponte ſuâ. Sic eximia orantis pietas, inopinatæ ſalutis præmio donata, in lætitiam illicò tranſiit. Ipſe autem ad venerandam Diuæ ſtatuam Brugâ profectus, non enixiùs quàm lætiùs grates egit, ac præter vicinorum teſtimonia, Pauli quoque Vander-Hagij, Gorcomij, aſſeueratione miraculum, quibus oportuit, probauit. Quippe oculatus hic teſtis à Bontio non abfuerat, ſiue cùm iaculo is feriretur, ſiue cùm eius mucronem euomeret;

ret; eò maiori noxæ futurum, quòd iam rubiginem M. CCC.
contraxisset. Sed belli portas claudamus, plus satis LXXXIII.
miseriarum in ipsâ quoque pace inuenturi.

CAPVT. XLV.

Puella in puteum præceps delapsa ad vitam redit.

ZElandiæ locus est (Puttenam incolæ vocant) vnde XX. *Maij.* Petrus Thomæ, cum Elisabethâ vxore, illustre miraculum nuntiarunt. Nam filia eorum Margarita, triduò antè, quàm Siluamducis procederent, in puteum præcipitata, mortem obierat. Duas ampliùs horas intermortua iacuit, colore fœdo, membrorumque rigore, & letali gelu deformis. Parentes mœrore afflictati, inque lacrymas effusi, interitum filiæ, suamque orbitatem deplorabant. Sola Deiparæ Virginis in humanum genus charitas solatio erat. Hanc mater præcipuè precibus tentat, ac peregrinationem Siluaducensem maximo suo incommodo subituram vouet. Neque calceos sumpturam sese, & lineo amictu carituram in viâ; imò nullam ab se carnem degustatum iri, priùs quàm destinata consummasset. Tetigerunt Dei Matrem hæ voces. Nam vita puellæ celeriter reddita, parem Diuæ gloriam & parentibus gaudium attulit. Itaque vicinis deducentibus, postquam Siluaducensem Virginis ædiculam adiissent, læti domos remigrarunt.

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT XLVI.

Puellæ pedum, Puero ſermonis, Mulieri brachiorum facultas redditur.

XXI. *Maij.* SVb hæc propinquiores pagi non obſcuris miraculis Diuæ ſubſidium didicerunt. Nam Genderæ Enghelberta Ioannis Wolfij filia, ita clauda, vt nullam incedendi ſpem luxata fœdè crura relinquerent, non modò ſtabilem, ſed & expeditum quoque greſſum recuperauit. XXI. *Maij.* Maræ, Ioanni Sebaſtiani totum menſem ex grauiſſimâ ægrotatione penitus muto, priſtinus redditus eſt ſermonis vſus. XXI. *Maij.* Rodæ Eliſabetha Ioannis molitoris vxor, triennio brachiorum ac manuum miniſterio priuata, ſic viribus ſuis reſtituta eſt, vt vix ipſa diſcerneret, promptiórne an fortior eſſet ad omne genus domeſticarum functionum. Quis horum maius beneficium acceperit, quiuis conſtituet, vbi conſiderauerit, quid magis requirat humana neceſſitas, linguámne, interpretem animi; an manus, vitæ miniſtras; an demum pedes, totius hominis fundamentum.

CAPVT XLVII.

Calculus abigitur.

XXII. *Maij.* NOn magis foris, quàm domi MARIANA gloria beneficentiæ ſuæ fixit pedem. Siluaducenſium Hintamenſis vicus miraculi teſtis fuit. Hîc enim Hen-

Henricus Hintemius arenoſo calculo, ſeque ipſum M. ccc. idemtidem per veſicam ſpargente, plus quàm biennio LXXXIII. cruciatus, reſiſtere vltrà dolori non poterat. Nec humanæ opis remedium fore videbatur. Quamobrem ad notam quotidianis ægrorum leuationibus Diuam refert ſpes ſuas; & poſt voti nuncupationem ne reliquias quidem calculi ſupereſſe ex gratâ tormenti abſentiâ didicit: eò vtique certior inpoſterum Virginei nominis præco futurus, quòd non tantùm, vt domeſticus teſtis, continuam in alios beneficiorum ſeriem, in dies pænè ſingulos oculis auribuſque acciperet; verùm etiam quòd ſuo ipſius bono expertus eſt, nullum Virginis auxilio præſentius, nullum facilius petentibus eſſe.

CAPVT XLVIII.

Puella graui caſu extincta à mortuis excitatur; ab alterâ morbus comitialis remouetur.

MIſerabilis fuit caſus Catharinæ Lishoutanæ, quæ XXIII. è ſummo domus tabulato præcipitata occide- *Maij.* rat. Triſte parentibus ſpectaculum; cùm vltra horam vitæ exſors iaceret filia, neque vultus aut color vitæ index rediret. Saluti fuit, quòd vulgatum Deiparæ auxilium, vt omnibus obuium, ita ipſis minimè interclusum fore, trepida pietas ſuggeſſit. Hinc ſatis fidentes diuinam ſibi adfuturam opem, quæ malum omne depelleret, ardenter à Diuâ vitam eius poſtulant, cuius mortem acerbiſſimam ſatis lugere non poſſent. Promptum

M. CCC. LXXXIII. ptum pietati pretium salus filiæ fuit. Nam repentè saliens è naribus cruor recuperatæ iam vitæ impleuit fidem. Circumstantibus verò immensum quoddam ex insperato gaudium affulsit, cùm parentes in rediuiuæ Catharinæ amplexum ruentes cernerent. Ioannes autem ferrarius faber, & Enghelberta (hæc eorum nomina produntur) maturato Siluamducis itinere, promissa patrarunt. Neque silendum est Margaritam,

XXIII. *Maij.* ex Alfensi Bredanæ ditionis agro, puellam, comitiali morbo leuatam esse, postquam ab Henrico Legghio atque Elisabethâ parentibus votum Diuæ nuncupatum est. Et paria promissis dona fuerunt, siliginis, ceræ, lini, argentique is modus, quem & ipsorum facultas permitteret, & Diua sibi cordi esse, non dubiâ puellæ valetudine declarauit.

CAPVT XLIX.

Incendium reprimitur.

XXIII. *Maij.* NVnc ad remotiores regiones abeundum est; vnde ingentia gloriæ decora, quibus Matrem suam honestaret Deus, nuntiata sunt. Produntur huius miraculi testes quatuor, Gobelus Ekelous, Gerlacus Bekermannus, Curtius Heinsius, Petrus Smitius, Parnouiæ in Liuoniâ vrbis incolæ, haud sanè ignobiles prudentiâ fideque. His auctoribus cognitum est, Parnouiam ipsorum vrbem, Siluaducensis præsidio Virginis, insignem tectorum perniciem ac vastitatem euasisse.

ſiſſe. Barbari erant in vicinâ orâ, non minùs acres Chri- M. CCC. LXXXIII.
ſtiani nominis hoſtes, quàm ingenio ac moribus immanes ac feri. Horum improuiſa manus, ſiue odio religionis, ſiue populandi libidine ſtimulata, cùm ſecundo vtens vento in Chriſtianorum fines deſcendiſſet, non diu morata, paſſim tectis proximis ignes immittit. Qui vt hæſerunt, extemplò proxima quæque, & deinceps continua amplexi, repentè tam dirum effuderunt incendium, vt ſpatium portandi, quæ reſtinguendæ flammæ forent, deficeret. Incuſſa omnium animis formido ſubita ſic mentes turbauerat, vt effuſam fœdè ſtragem magis fugerent, quàm ſedarent. Iam concurrentium, vt in tali tumultu, permiſtus clamor, pænè ſalutaris conſilij ſenſum ademerat. Nonnulli tamen altiùs voce ſublatâ, in nouo caſu nouum eſſe quærendum auxilium, vociferabantur: Siluæducis, Brabantiæ opido, MARIAM Virginem quælibet vltima rerum diſcrimina ſubleuare: ad hanc tenderent manus, implorarent illius opem; miſericordiam, fidem expoſcerent: haud dubiè ſupplicibus affuturam. Hæc contentiùs pronuntiata, non minùs auidè exaudita ſunt; fremitu vſum aurium non penitus intercipiente. Ergo, vt quiſque periculo propior erat, ita magis preces intendere, & ſpem vltimam in præſidio ponere tam potente certoque. Sed virorum quatuor, quos paullò antè memorauimus, pietas eminebat. Illi precibus vota addere, illi longinquam profectionem, ſi incendium ſiſteretur, polliceri: illi donorum quo-

M. CCC. LXXXIII. que mentionem non omittere. Tum demum videres repreſſas diuinâ virtute flammas euaneſcere, ac in ſemet redire. Ventus quoque è Barbarorum ditione vehementer ad propagandam latè flammam incumbens, repentè inhibitus, ac mox in eam, vnde flauerat, regionem coortus eſt. Hoc maximè modo ſeruati Parnouiani, tantâ ex inſperato affulgente lætitiâ, gratantes inuicem plaudenteſque, propitiam quoque Virginem non fraudarunt laude ſuâ. At Gobelus cum ſociis ad præſtandam promiſſi fidem curas vertentes, celeriter milliarium quadringentorum iter conficiunt, ac Siluæducis aram Virginis inuiſunt. Ibi publicatâ ſui periculi magnitudine, maiorem tamen fuiſſe Virginis miſericordiam affirmarunt.

CAPVT L.

Mulieris ex curru præcipitatæ vitam Diua reſuſcitat.

XXV. *Maij.* ÆQuè facilem in caſu non faciliore opem ſenſit Eliſabetha Walteri Huyſmanni vxor, eius oppidi incola, quod in Brabantiâ Veteris-Siluæ nomen retinet. Hanc mulierem currus, quo vehebatur, fortè corruens ſic in terram excuſſit, vt priùs vitam amitteret, quàm à marito, câdem clade proſtrato, leuamentum poſſet accipere. Poſtquam enim ſe Walterus ex illâ conſternatione vtcumque collegit, exanimi coniuge repertâ, tantus ei dolor accidit, quantum coniugalis amor, viduitatis periculo factus ardentior, facilè exercet.

cet. Tum verò ille lacrymans precari consolatricem M. CCC.
afflictorum Virginem, & votis lamenta miscere: in LXXXIII.
terris coniugem, vnicum vitæ solamen à Deo sibi datum esse; eâ amissâ peracerbam reliquam sibi ætatem fore; ab huius spiritu pendere suum: in cælis tamen Diuam agere, eius in miseros charitati potentiam non deesse; hanc præberet sibi; quam in totum hominum genus tam frequenter effudisset. Duæ horæ inter preces & lamenta effluxerant, cùm femina alleuare oculos, motare artus, & pristinis viribus reddi cœpit; nimirum Diuæ auxilio ab interitu reuocata. Vtriusque porrò in visitandâ arâ Siluaducensi gratitudo ostendit, quanti tum ipsam Diuam, tum acceptum ab eâ beneficium penderent.

CAPVT LI.

Viri cuiusdam cæcitas depellitur.

VItæ amori proxima accedit oculorum charitas, XXVI. *May.*
quorum tam amissio quàm desiderium vehementes in mortalium animis excitant motus. Vtriusque documentum dedit Ioannes Alardi, Hattemo, propè Swollam, oriundus. Hunc mœsta cæcitas iucundissimo sensu exuerat, æquè tenebrarum ac lucis participem gnarumque. Sesquiannum id vitij durauit, citra omnem spem humanæ opis. Ergo sublimiora Ioannes mente agitans, votum concipit, si noxa ex oculis emota esset, salutaturum sese potentem Dei

M. CCC. LXXXIII. Matrem, in ipso loco, quem prodigiosis curationibus clarere felix fama nuntiaret. Nec irrita fuit voti ac precum vis. Quippe repentè cæco reluxit dies, & ille lætitiæ plenus, promissis minora non præstitit, iam ducibus oculis Siluaducense iter emensus.

CAPVT LII.

Præsenti naufragio viri septem eripiuntur.

XXVI. *Maij.* IAm nauigaturi cognoscent, vnde tempestatum victoria, vnde discriminis vltimi depulsio speranda sit. Erat fortè brumæ tempus, cùm ab Slusâ solueret nauis, quam Henricus Scherpenborchius, cum sex naualibus sociis, simul ingenti halecum numero, simul aliâ merce impleuerant, Antuerpiam traiecturi. E portu in altum euecti, atque è terræ conspectu iam ablati, siue loci artísve imperitiâ, siue cæcâ ventorum violentiâ, applicuerunt onerariam latentibus vadis; & quia prærapidâ celeritate incitabantur, in multas turbidásque arenas altiùs intorti sunt. Figi crederes nauim, & velut anchoris iactis subsistere. Auxit periculum rima ingens, laceratas hinc inde tabularum compages vndis aperiens, atque in duorum ferè digitorum latitudinem patens. Ministeria nautarum hinc metu, hinc vorticoso fluctuum arenarumque vndique sese insinuantium concursu, occupabantur. Igitur ipso illo quo velut deprehensi erant loco, tres dies totidemque noctes constitêre, non fessis modò & rigen-

rigentibus gelu corporibus, ſed multò etiam magis M. CCC. LXXXIII.
animorum abiectione torpentes. Neque repetitus ſubinde labor atque admota vis omnis quidquam profuit, aut ad aquas, quæ ſe inuehebant, euerberandas, aut ad nauigium moliendum; cùm arenarum concreta vis pænè in virilis ſtaturæ altitudinem aggerata, & vndequaque circumfuſa, teneret obſeſſos. Interim aliæ naues, eo maris tractu iter habentes, ad conſpectum huiuſce onerariæ periculum idemtidem ſubſtitêre, quamcumque poſſent opem oſtentantes. Sed iter, quà mearent nauigia, præaltis vtrimque arenis obſitum, ſic arcebat acceſſum, vt qui proximè ſe applicaſſent, tamen medio teli iactu abſiſtere cogeret. Quæ res effecit, vt interclusâ omni ſpe opitulandi, ſuum quique curſum relegerent, pereuntium amicis ſaltem nuntium de genere & loco mortis allaturi. At relicti illi miſerandis clamoribus charitatem hominum, ſacra communia, naturæ ſocietatem, diuorumque implorabant opem; vitæ conſeruationem bonorum omnium pretio haud grauatè empturi. Sed prætemauigantium conatibus, vt maximè voluerint, inſidioſa breuibus vada obſtabant. Ergo ventis quoque aliò vocantibus vtendum rati, curas ad ſimilis periculi fugam verterunt; ſolâ, quod poterant, memoriâ apud afflictos perſiſtentes. Hi autem, poſtquam ex oculis auxiliares naues ſua tempeſtas auexit, tot circumſtantibus malis attoniti, cùm ſe arenis circumſeſſos, mari cinctos, ab hominibus deſertos cernerent,

M CCC. LXXXIII. fluctuantes animis circumspicere auxilia humanis certiora cœperunt. Tum fortè iniecta est cogitatio admirandorum operum, quibus longè lateque clarissima Siluaducensium ædes celebrabatur: quo solatio nullum tanto luctui opportunius interuenire potuit. Quare, cùm vitæ amor, spes salutis, mortisque horror trepidos eorum animos ad sollicitam Siluaducensis Matris inuocationem mox perpulissent, toto itineris successu eius tutelæ enixiùs commendato, nullum supplicandi finem faciunt, vt aliquando ab imminente iamiam interitu potentissimâ eius ope vindicentur. Nec votum omittunt eiusdem ædis, vbi licuerit, adeundæ. Magnum ad salutem momentum preces attulisse, subito euentu declaratum est. Nam, velut signo dato, mare præter consuetudinem ac statas vices vehementiùs exæstuans, & sesquipede, quàm soleret, altiùs aquas attollens, decumano aliquo fluctu subeunte alleuauit nauem, & leni tractu extra syrtes prouectam profundo reddidit salo. Ibi libero cursu redintegrato, velis in altum datis, breui deinde Antuerpiam appulsi sunt: nauigatio gratulationibus plausuque traducta; donec exscensu in terram facto, domus ad coniuges amicosque lætum nuntium portarunt. Henricus autem visendæ liberatricis Diuæ haud immemor, ceterorum nomine destinata impleuit.

CA-

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT LIII.

Iterùm naufragi seruantur.

DIuina Virginis charitas haud disparem beneuo- XXVIII. lentiam exseruit in casu pænè pari. Quibus be- *Maij.* neficium obtigit, Arnoldus Goudanus cum Gisberto filio, & Ioannes Rosa, ac Damianus produntur, magis miraculo inclyti, quàm nomine aut fortunis suis. Ij Goudam petituri phaselum in vrbe Dordraco cõscenderant, imposita vini quatuor dolia vehentes. Iamque inclinante meridie, cùm primum ferè à Dordraco lapidem placidâ nauigatione præterueherentur, tam fœda tempestas erupit, vt prorâ in ripas directâ terram occupare metus suaderet. Sed procellæ vis laborantium viribus maior fuit, quamquam ingenti certamine in tellurem nitentibus. Igitur in medios vndarum furores raptim relati, omnium, præterquam periculi, fluctuabantur ignari. Turbida quippe aura pænè rerum conspectum abstulerat. Quàm citò fluctibus ludibrio futuri essent, quàm propinqua mors incumberet, non animi magis, quàm oculi præsagiebant. Vnum succurrebat formidinis solatium, perpetua Siluaducensis Diuæ charitas in calamitosos, perditosque. Arnoldo plus quàm ceteris animorum fuit, ad hoc præsidium comparandum. Quamobrem dissimulato tantisper magis, quàm abiecto metu, ad socios conuersus, Agite, inquit, & mecum spem postremam in Sil-

M. CCC. LXXXIII. Siluaducensi illâ suauissimâ MARIA desigite. Huic vota, huic preces fundendæ sunt, quæ nec supplices vnquam spernit, nec sperantes destituit. Et quamuis nullâ virtute eius beneuolentiam meruimus, tamen illa nil paruum ducit in quo magnæ misericordiæ locus est. Vt desint omnia quibus tantæ Reginæ paretur gratia, ipsa certè hæc tempestas Dominæ maris nos potenter commendat. Si me sequi vultis, breui voto terminum vitæ prorogate. Ceteri pariter conclamant: In MARIA spem suam esse; si infortunium abfuerit, id Siluæducis ad eius gloriam relaturos; neque defore ipsis munus aliquod quo MARIAE honos vtcumque augeretur. His aliisque hortando inuicem, corporibus, non modò animis, auctæ sunt vires. Ergo industriâ ad tuendum nauigium versâ, ne malus vento districtus velumque dilaceratum laborantibus obstarent, operam dedêre. Huic labori intentis vasti quidam fluctus vento misti superueniunt, qui in ipsum phaselum illati, sic carinam impleuêre, vt leuata vndis dolia vltrà nauis alueo contineri nequirent. Ergo fluctuari & natare omnia, sursumque & deorsum ferri; aquis armamenta hominesque iuxta inuoluentibus. ansam quoque gubernaculi rapida procellæ vertigo nauiculario extorsit. In tantâ trepidatione mansit aliquamdiu Arnoldo vox, quâ socios excitauit, vt retentâ salutis spe, quodcumque sors obtulisset, arriperent, siue natantibus adiumentum, siue extinctis atque in littus eiectis pretium sepulturæ Christiano ritu loco-

locoque obtinendæ. Hinc animus creuit afflictis, & quamquam stupentibus metu ac frigore artubus vix armamentorum tenendorum potentia esset; quisque tamen, vt in tantis malis, ad quamlibet opem tetendit manus. Arnoldo pes veli obtigit, ex quo pendulus nunc mergebatur, nunc extabat aquis: Gisbertus gubernaculo se commisit. At Ioannes Rosa dolio inhærens cùm frequenti volutatione circumactus rotaretur, præ lassitudine sustentaculum anceps dimittere cogitur. Damianus nauicularius in altum quoque è puppi excussus, diuerberatis fluctibus frustrà alleuauit semet, sæuo æstu idemtidem fessum resorbente. Neque telluris potiundæ spes erat; ripis vltra quartum teli iactum à naufragij loco distantibus. Inter hæc superueniens Harlemensis lembus, qui cereuisiam (potionis Belgicæ consuetum genus) vexerat, magis pereuntibus solatio, quàm auxilio fuit. Nam cursu quinies obliquè ad naufragos inclinato, eorum nemini subueniri potuit; insigni tandem Harlemensium charitate vndarum furoribus, licet ægrè, concedente. Et certè ardorem iuuandi summum fuisse, fluitantium corpora haud semel à superuectis perstricta ostenderunt: ita propè ab auxiliatoribus aberant. qui cùm sæpè conati nequissent succurrere, metu similis mali ad pristinum cursum receperunt sese. Interim in hac mortis expectatione semiuiuis tres omnino horæ productæ sunt; quo tempore quidquid cogitationum à corpore tuendo mens vacuum habuit, id omne ad

M. CCC. LXXXIII.

M. CCC. LXXXIII. Siluaducensem Dominam pro se quisque misêre. Et felicitas, vt sæpè aliàs, pietatem est secuta: & puncto temporis momenta rerum versa sunt. Diuino quippe auxilio tres in quemcumque casum tendentes, ripam, iactationi tantæ superstites, tenuerunt, cum vasis omnibus, ipsoque nauigio, quasi dominos suos prosequente. Eâ re animaduersâ Harlemenses, & ipsi nauim ad eumdem terræ tractum appulerunt, quinam homines tanto periculo superuiuerent, quaque cælitum ope seruati essent, haud paullò certiùs proximè terram exploraturi. Qui postquam ad destinatum locum expositi fuerunt, è mitioribus iam vndis Ioannem Rosam eódem defluentem conspiciunt. Deo scilicet ac Deiparâ rectà eò ducentibus, vbi commodè præstolantium manibus exciperetur in terram. Neque cuiquam dubium fuit, cuius ope à præsenti exitio seruati forent. Vt verò primum fatigati spiritum laxauêre, cum ingentibus lætitiæ signis simul Deum, simul Fautricem Siluaducensem venerati sunt; recentis periculi memoriâ copiosam diuinæ laudi materiam suggerente. Harlemenses quoque cum ceteris, quos ad spectaculum rei nouitas exciuerat, euidentiam miraculi magnifico præconio efferebant. Neque quisquam spectantium adfuit, qui non assereret de LX. virorum millibus (sic tunc locutos fuisse accepimus) ne vnum quidem absque cælesti subsidio ex eiusmodi discrimine saluum euadere potuisse. Ceterùm naufragi breuî offerendum rati, quod Deiparæ promisissent,

ſiſſent, & gratiam eius in poſterum quoque pararunt M. CCC. LXXXIII.
ſibi, & miraculum periculo potiùs ingenti, quàm
clade inſigne, publicis tabulis, ac perpetuæ hominum
memoriæ conſignatum reliquerunt.

CAPVT LIV.

Infans mortuus in lucem editus reuiuiſcit.

QVàm ſit certa viuentibus mortalitas, nemo ambigit; præſertim cùm etiam naſcentium originem non raro mortis feſtinatio præcerpat. Ipſis enim infantibus nondum in vitam editis mors adſtat; & intercepto natali die, quandoque antè in tenebras ſuas rapit, quàm lucem adſpexerint. Hanc leti viam Cathatina Balduini Ruteri vxor experta eſt in fetu, quem mortuum profuderat, ingenti dolore ſuo. Non dubiæ mortis fidem fecit hora integra, nullum vitalis alicuius motionis explorantibus indicium præbens. Quo animaduerſo mater, & orbitatis metu, & Baptiſmo carentis filij miſeratione icta, conceptis verbis D. MARIAE Siluaducenſi vouet, ſi puero vita reddatur, & lauacri cæleſtis piaculum, ſe vinum, ac triticum, quantum Deiparæ gratum fore crederet, ipſi conſecraturam. Hac precantis voce exorata Deipara, puerulo animam, parentibus amicíſque lætitiam retulit. Rediuiuo Balduini nomen indidêre, ac poſt menſes complures, vbi de vitæ diuturnitate conſtabat, Hekehuſâ profecti ſunt, ad ea, quæ promiſerant, apud aram Virginis exequenda. XXVIII. May.

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT LV.

Duo claudi ſanantur.

XXVIII. *Maij.* SVb hæc duobus claudis pedum non dumtaxat fiduciam, verùm etiam celeritatem reſtitutam comperimus. Margaritæ Dunghenæ, Gelenſis mulieris, prior eſt mentio. Hæc duodecim hebdomadis ſupra annum ſeptimum ita parùm valuit pedibus, vt ſine adminiculo ne veſtigium quidem ponere potuerit, à continenti debilitate. Verùm, cùm ſtati fortè adeſſent dies, quibus Sacerdotes quotannis de more per compita & plateas celebri pomparum frequentiâ, & crucibus altè prælatis, pro frugibus precari ſolent; tum Margarita, Dominico die haſce cærimonias antecedente, curis & cruciatu in lectulo eam tenentibus, huiuſmodi viſo recreata eſt. Locus quidam eximio ornatu & ſplendore conſpicuus, adeunti patere videbatur. Hîc aurei torques, hîc monumenta multo auro argentoque cælata fulgebant: diſtinguebant opera variæ effigies, quædam coloribus, aliæ gemmis interlucentibus adornatæ: exiguis interuallis pendebant monilia, ex auro ferè expreſſa, & margaritis intextis nitentia. Hic magnificentiæ ſplendor facilè admirabundæ mulieris cogitationes ad præſidem loci Diuam traduxit. Et mox gliſcente eius viſendæ deſiderio, cuius venerationem ſpectaculi maieſtas iniecerat, nullâ factâ morâ vehiculum comparat, & breuiſſimo

mo itinere Siluamducis petit. Quò vt peruenit, alienâ ope & ligneis fulta sustentaculis in ædem se deportat. Ibi magis, quàm vnquam aliàs, tum ad spem recuperandæ sanitatis, tum ad preces acriùs intendendum exarsit. Ergo toto pectore totisque viribus in studium precandi incumbens, haud exiguum tempus dedit pietati iam accensæ. Postquam orandi finem fecit, erecta in pedes (nam genibus adhuc nixa fuerat) non tantùm iis constanter insistere, sed etiam velociter ambulare potuit; gressu nullum corporis obsequium, nullum animi impetum detrectante. Neque ea corporis habitudo firmior, quàm diuturnior fuit. Et Margarita quidem summâ ex insperato lætitiâ perfusa, ad præsentis Diuæ aram, actis impensè gratiis, promissum religionis debitæ cultum cum fide reddidit. M. CCC. LXXXIII.

In simili corporis vitio superando par quoque Petri Leydani felicitas fuit. Æquè molestus eius crura languor afflixerat, magnis cruciatibus ad inflationes augendas confluentibus. Hinc non ille quidem animo, sed viribus penitus deficientibus, cogitationes omnes ad Diuinam opem cœpit intendere. Ea cura salutaris fuit, & ad votum Deiparæ Siluaducensi faciendum inclinantem facilè perpulit. Concepto voto pedetentim membrorum turgentium crassitudo se remisit, abscessit dolor, & copiam Petro reliquit, gemino saltem fulcro (quod nondum ad eam diem potuerat) promouendi gressum. Sed, vt numquam imperfecta sunt dona cælestia, breuî sanitas in integrum restituta XXVIII. *Maij.*

M. CCC. LXXXIII. eſt. Petrus ſiquidem ſublatis in humeros ſuſtentaculis ad venerandam Diuam ſanus inceſſit, & priſtinæ miſeriæ inſtrumenta in accepti beneficij monumenta conuertit.

CAPVT LVI.

Cæci duo lumen recipiunt.

XXIX. *May.* NOn minùs effulſit MARIAE Virginis miſericordia in Ioannis Zacci expeditâ curatione. Fullo erat, ac fortè aurorâ in ſextam horam matutinam vergente, pannos calido iam labro immiſſos fouebat. Inter hæc tanta repentè cæcitas oculis eius illata eſt, vt nullam cuiuſuis obiectæ rei partem colorémve eo ſenſu perciperet, talpâ cæcior effectus. Hæc calamitas à die Martis ad Iouis perdurauit diem; etiam diuturnior futura, niſi tum à Ioanne ipſo, tum ab Henrico fratre effuſæ ad Siluaducenſem cæcorum ducem preces interceſſiſſent; quarum vi, horâ item ſextâ, caligo depulſa eſt. Ioannes itaque breui malo edoctus quanta eſſet oculorum præſtantia, quantuſque vſus, nihil antiquius habuit, quàm vt cum eodem fratre Siluamducis ire maturaret, ad gratulandum MARIAE tanti
XXX. *May.* muneris auctori. Atque hunc quidem in alienâ, Eliſabetham verò Gerardi Colij vxorem in ſuâ ditione atque vrbe ſanare, Diuæ complacitum fuit. Gelriæ pagus eſt, cui Veteris-Eccleſiæ nomen inditum. Hîc Eliſabetha annum in cæcitate exegit, luminibus omnino capta. Fatigata ergo diuturnitate ac tædio tenebrarum,

brarum, ad illam confugere ſtatuit, quæ lucem veram mundo peperit. Neque oculis ad ſolis diuini Parentem ſalutandum precandumque opus fuit: tacitæ mentis intuitu vota quæuis concipi poſſunt. Sanctè itaque præſcribit animo ſuo, Siluamducis, vnicum afflictorum aſylum, petendum eſſe, ibique, ſi viſum recipiat, dona quædam ex communi ſupplicum ritu dedicanda. Atque haud ſegniùs quàm conſtituerat deſtinata exequitur. Cæca, marito præeunte, Siluaducenſem inuadit viam, quaſi inuitantis ac trahentis Diuæ auſpicium conſtanter ſecuta. In reditu ducem non requiret. Et primus quidem dies, poſtquam Siluamducis peruenerant, non tam ſpe quàm ſolatio caruit; verùm vbi ſecundus affulſit, tum Eliſabethæ oculi non dubiam eius lucem hauſerunt. Nec defuêre qui ad explorandam oculorum fidem varias colorum rerumque ſpecies præberent diſcernendas. Illa autem ſic earum omnium diſcrimina indicabat, vt nullam cuiuſquam animo dubitationem relinqueret. Mox quoque cùm diuinæ rei intereſſet, cumque Sacerdos ſublatis in altum manibus incruentam Hoſtiam in conſpectum vulgi daret, eamdem Hoſtiam, quam intra annum numquam adſpexerat, à ſe videri cognoſcique profeſſa eſt. Ita miraculo certitudinem, Diuæ Virgini honorem aſſerüit, & alienis oculis in poſterum minimè egens, domum, vt cordi erat, læta repetiit.

M. CCC. LXXXIII.

CA-

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT LVII.

Infans teterrimâ corporis affectione soluitur.

XXX. *Maij.*

NOn infrequentes his temporibus veneficæ, ætati maximè teneræ insidiabantur. Quippe abreptis è cunis infantibus persæpè prodigia quædam veriùs, quàm homines, per præstigias subdebant. Id Ioanni Loyo & Gertrudi coniugibus accidisse visum est in Hedelano pago, quem intra secundum à Siluaducis lapidem Mosa, inclytus amnis, vicino alueo stringit. His puerulus erat, nondum annum natus, Henricus nomine, proximâ superiore hieme, permolestâ grauique vexatione cœptus exagitari. Nam lugubri assiduaque eiulatione totam domum parentumque aures implebat, vocis modo à subditiorum puerorum fletu haud abhorrente. Tantum verò sugebat materni lactis, quantum tribus infantibus abundè sufficeret. Itaque puer (indiciis eâ tempestate consuetis) veneficio contactus, mater sitientis auiditati impar futura, credebatur. Perpetuus dolor, & solatij inopia mœstos iam crebrò impulerat, vt contrà, atque parentum fert amor, breuem vitæ miseriæque exitum soboli à Deo precarentur. Ea afflictio totum mensem occupauerat, puero indies & suos & suorum luctus integrante. Tum demum Ioanni atque vxori, nullum Siluaducensi adiutorio certius tutiusque contra omnes præstigias incantationesque munimentum esse, visum

visum fuit. Porrò cum spe subsidij coniungunt votum, vinoque ac tritico offerendo, se Diuam propitiaturos pollicentur: & ecce nocte ipsâ, quam votum præcesserat, Henricus ab inexplebili illâ lactis appetentiâ, non tantùm à ploratu, lacrymisque, temperauit. Mox formosior corporis species, pristinæ similis, haud obscurè sanitatem integram præcedentibus intemperiis successisse indicauit. Parentes B. MARIAE Siluaducensi impensè honorē debitum habuerunt. M. CCC. LXXXIII.

CAPVT LVIII.

Cæcus illuminatur.

VT iure quis ambigat, sitne in hominum oculis plus nobilitatis ad ornatum, an ad vsum necessitatis; ita pro comperto est omnibus, amissionem luminis oculorum inter præcipuas mortalium miserias putandam esse. Diuina tamen virtus suppliciter, à Dei præcipuè Matre postulata, remedia facilè subministrat. Guilielmus Stalinsius longâ quatuor annorum cæcitate in multas ærumnas deuolutus, vtrumque agnouit, & oculorum pretium ex iacturâ, & cælestis vim auxilij ex eorumdem restitutione. Conditio ei & fortuna erat infimi pænè generis; vt qui modico aucupij quæstu vitam tueretur. Tres-tabernas, locum Hulsto vicinum, incolebat. Et fortè insidias auibus moliebatur, quando repentina oculis eius offusa caligo, ægrè domum repetendi facultatem reliquit. XXXI. *Maij.*

S Sed

M. CCC. LXXXIII. Sed & domum reuerso ita spissæ tenebræ incubuerunt, vt neque diei neque solis ipsius iubar agnosceret. Erat illis temporibus Diua Siluaducensis non solùm in agro ditionis suæ miraculorum famâ inclyta; sed etiam apud Flandros, aliasque nationes longiùs positas, maximè celebris. Itaque facilè Guilielmi quoque vota ad se pertraxit: qui cæcitate quadriennio toleratâ victus fractusque, salubri consilio omnibus viæ commodis piè fortiterque repudiatis, Siluamducis perduci voluit, publicam Diuæ opem in se quoque deriuatum iri haud desperans. Hugo Balduinus socium ac ducem se præbet laboris & viæ. Et Diuæ charitas adeò miserandi hominis est complexa pietatem, vt eum pro egregiâ suâ benignitate, cum optato oculorum lumine, & gaudio copioso, dimitteret. Quippe sub ipsum peregrinationis completæ votique nuncupati exitum, tam viuax luminibus acies rediit, vt nihil eam prorsus effugeret, falleretve. Ne tamen in maius, vt fit, rem celebraret, Guilielmus, à duobus deinceps Sacerdotibus cernendi vim explorari placuit, haud exiguâ adstantium turbâ in eiusdem iudicij societatem adscitâ. Quorum ille examinationi sic satisfecit, vt nusquam in prodendis rerum variarum discriminibus allucinaretur. Ergo actis Diuæ de more gratiis, lætior quàm aduenerat, discessit, oculis viam commodiorem tutioremque præstantibus.

CA-

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT LIX.

Ex improbi hominis capite ſpiculum à Deiparâ mirabiliter educitur.

SEra pietas numquam fructu caruit diuinæ opis; 11. Iunij.
quæ eò ferè promptiùs ſubuenit, quò & longiùs abeſſe viſa eſt, & tardiùs inuocatur. Inueteratum Arnoldi Byæi Flandri malum, poſt longa multorum annorum ſpatia depulſum, poſteris documento erit. Vir fuit honeſto loco natus, & Ducum Brabantiæ, in quâ tùm frequentia bella verſabantur, partes ſecutus. Ludouicus Malanus Flandrorum Comes in Margaretæ coniugis dotem non exiguam Brabantiæ partem poſcebat. A Wenceſlao & Ioannâ Margaretæ ſorore repulſam tulit; atque à Bruxellenſibus, eorumque ſociis, Gandauum vſque populando progreſſis, haud leuem ditionis ſuæ cladem. Sed mox reparatis viribus, ad bellum impigrè gerendum intendit, fuſiſque prælio Brabantis, complures vrbes & Furam arcem, ad M. CCC. LVI. deditionem compulit. Wenceſlaus, collectis interim Traiecti Germanorum auxiliis, celeriter ad ſuos laborantes reflectit iter, & hoſte vtcumque repulſo; multiſque in fidem receptis vrbibus, ad Furam arcem, in quâ adhuc Ludouicus hærebat, caſtra mouet. Vtriſque cruenta fuit hæc obſidio. Brabantos præſentium victoriarum curſus, Flandros recentium memoria ad experiendum vltima ſtimulabat. Irruptionem vi ten-

M, CCC. LXXXIII. tare Brabantis placuit: vbi dum Arnoldus inter primores incautiùs dimicat, propugnatoribus ingentem missilium vim effundentibus, iaculo in vultum coniecto periculosum vulnus accepit. Quippe sagitta in eum oculi sinistri angulum, qui supercilium cum nasi fastigio committit, adacta, pænè cerebri membranas percusserat. Hoc vulnere afflictus Byæus, cruore mox emicante, remittere arma coactus est, & sociorum affluentium subsidio se tradere. Hi festinando plagæ periculum addiderunt. Nam dum pro se quisque telum certat euellere, solo ligno dimisso, aculeum iaculi angustæ vulneris oræ retinuerunt. Itaque ferrum hæsit in capite, & sanescens breuî caro foramini callum obduxit. Sed spiculum intus latens longo iuxtà ac graui Arnoldum cruciatu afflixit. Totos (quis credat?) sex ac viginti annos, ad hoc septem hebdomadas ferrea cuspis, tenax pristinæ sedis, recrudescentes sæpè dolores aluit, tantâ interdum violentiâ, vt per aduersam capitis partem nouum sibi exitum factura videretur. Diuturnitas mali tam pertinacis effecerat, vt Arnoldus cum spe sanitatis paulatim amitteret curationis vrgendæ voluntatem. Fortè autem eo tempore, quo aduentum Seruatoris Ecclesia Christianis proponit, Byæus fatigata membra in lectum reiecerat, quieti se traditurus. Iamque altior somnus accesserat, cùm huiusmodi viso recreatus est. MARIA Virgo, cælo repentè delapsa, se illi spectandam dedit. Eius speciem raræ venustatis decor honesta-

nestabat, liquidissimæ lucis fulgore radiisque per- M. CCC. LXXXIII.
mistus. Super cetera ornamenta eminens auri splendor sic oculos admirantis impleuerat, vt, reliquorum velut oblitus, nihil præter Deiparam, auro vsquequaque circumdatam, ac nitentem, videret. Sed dum ille, quantum venerabundo intueri contrà fas esset, tam iucundo spectaculo mirè lætus, oculos magis ac magis intendit, ex improuiso percellitur velut nouo ac tristiore prodigio. Siquidem aurea illa cælestis Reginæ maiestas, & blanda lux, quâ vultus eius decorabatur, primùm quidem in candorem, deinde sensim in pallorem abire visa est. Quo animaduerso Arnoldus, animo anxius, Ecquisnam, inquit, mea Domina, tam sereno nimbus ortus est? quæ causa indigna vultum paullò antè tam amabilem ac speciosum fœdauit? vnde subitus ille squallor in faciei nitidissimæ decus sic repentè inuasit? Hac admiratione defixum Diua excipiens, Ego verò, inquit, à Deo Filioque meo pacem tibi ac veniam precata sum. Tu autem mores patrocinio meo indignos exue, atque à pristinis corruptelis ad veram virtutem sic animum traducito, vt mentis, quàm corporis sanitati impensiùs studeas. Cælo te proba, Deoque; sequetur optata sanitas: abi modò Siluamducis: ibi & quid à me sperare debeas, videbis; & quid ego possim, senties. Hæc vbi dicta, cum somno cæleste quoque spectaculum abiit. Byæus autem mox experrectus, atque has voces animo repetens, salutari præcepto promptè obsequitur. Prima

M.CCC. LXXXIII. cura ſubiit placandi Diuam. Vouet igitur, non ante carnem vllam ab ſe guſtatum iri, quàm ſupplex conſpectæ in ſomnis MARIAE effigiem Siluæducis veneratus eſſet. Hæc elocuto mirabilis viſu euentuque res accidit. Nam ſpiculum ferreum, quod iam annis ſex & viginti intimas capitis ſedes occupârat, ſponte ſuâ inde elapſum eſt, nouo tranſitu infra oculum, digiti latitudine, iuxta nares inuento. Auxit miraculi magnitudinem integritas cutis, à ferri regreſſu nullum læſionis veſtigium prodens. Oculo ſimiliter ſua ſanitas innoxia perſtitit; Arnoldo lætitiæ inopinatæ magnitudinem vix ferente, aut explicante. Sed & votis eius facta reſponderunt. Gelâ Siluamducis proficiſcitur; ſpiculum inibi, quicumque ſe obtulerant, oſtentat, Diuæque enixè gratulatur. Nec minor eorum exultatio fuit, quos ad videndum Arnoldum rumor exciuerat. Audiebantur voces crebræ Deiparam celebrantium, quæ tam diuturno malo, tam breuem, tamque gratum finem impoſuiſſet. Spes quoque populorum vehementer accenſa eſt, cogitantium, nullum vmquam ab eâ derelictum iri, quæ poſt ſextum & vigeſimum annum magis pænè rogans, quàm rogata, non optimis moribus homini, & fiduciam ſanitatis iniecit, & medicinam adhibuit.

CA-

CAPVT LX.

M. CCC. LXXXIII.

Pueri vulnus, à calculo malè curato relictum, occluditur.

MInùs longam noxæ moram in tormento haud leuiore pertulit Nicolaus, Georgij Nicolai filius, Zelandus. Westkerka Scherpenessæ propinquus locus est, vbi miraculum patratum ferunt. Nicolaus iunior miserandum in modum calculo vexabatur, quem etsi medicus vtcumque secando exemerat, incisam tamen cutem nequiuit adducere. Plaga igitur minimè coïens vrinæ transilienti iuge iter laxauit. Asperum morbi genus, nocte & interdiu humorem fœdum, proxima quæque rodentem, stillando transmittens. Superueniente deinceps impetigine sic increuit acerbitas, vt absque dolore ne considere quidem misero liceret. Familiares omnes, præcipuè parentem, filij miseratio ceperat: profluuio illo perpetua annorum quatuor vlcera, & cruciatus producente. Tum enimuerò pater amore, filius dolore stimulatus, ad preces, ad vota conuersi, orare Siluaducensem languentium Patronam, vt tantæ afflictioni remedium opponat. Et preces benè positas fuisse, perceptus inde fructus sanitatis docuit. Ipse precum finis leuamento initium dedit. Neque tarda fuit curatio cælestibus auspiciis inchoata. Quippe Nicolaus filium, omni obductâ & sanatâ plagâ, mox optimè valentem Siluamducis perduxit; vbi promissis soluendis, & suam pietatem, & misericordiam magnæ Matris testati sunt. III. *Iunij.*

CA-

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT LXI.

Raptatus equis iuuenis à morte priùs ad vitam, deinde à phreneſi ad ſanitatem reducitur.

VIII. *Iun.* ADhuc ſingula ferè in ſingulos beneficia collata ſunt; nunc etiam in vno duplicantur: vt conſtet Principem Virginem, quoties ſalutaria poſcuntur, annuere. Hemerta, proximus Huſdæ locus, vetuſtaque munitus arce, miraculum gemino euentu memorabile adſpexit. Ioanni Feytio & Eliſabethæ filij erant Godſcalcus, atque Guilielmus. Horum poſteriorem cæleſti Virginis ope mirabiliter adiutum accepimus. Ea nox, quâ ſacer D. Lamberto dies clauditur, horribili caſu Guilielmum excepit. Is quippe ſecundâ ferè vigiliâ Hemertanæ Dominæ currum agens, ad reuehendos ceſpites intendebat iter. Iamque Doueræ pagi fines attigerat, cùm equi (etiam ad vmbras pauidum animal) conſternati primùm, deinde velut inſtincti rabie, curſum citare, & non tam imperio, quàm pauore rapi cœperunt. Ergo effuſo prorſus impetu per lubrica atque inuia delati, nec vltra frenis obſequentes, eum à quo regebantur excutiunt. Atque ille quidem capite ad ſolum alliſo, omiſſis habenis præceps corruit, ac pedes fluituantibus ſine lege loris ſic implicauit, vt quò magis eos retrahendo conaretur eximere, hoc arctiùs nodorum voluminibus ſtringerentur. Ita curriculum ſine rectore ferebatur, quocumque iumen-

iumenta furor impelleret; & iam rotis semianimis M. CCC. LXXXIII.
Guilielmi caput atterentibus, iam solo asperiore artus lacerante, dispersus vbique cruor signabat vias. Ad quingentos ferè passus equi sic furentes decurrêre, cùm rupti aut laxati nexus, quà inhæserant vinculis membra, aurigam exanguem, atque humi fusum reliquerunt. Inde velut nouis agitantibus furiis in longius iter concitati, Gansoyam vsque præcipites abeunt: ibi cum vehiculo cruento restiterunt. Interim ad Guilielmum nonnulli, miserandi casus tumultu exciti, accurrunt, corpusque sanguine & vulneribus deformatum Husdam deportant, ac velut conclamatum in sacello proximo collocant. Eo loco tres dies, ac noctes totidem, relictum cadauer nullum vitæ indicium explorantibus dedit. Pluma quoque leuissima, tertiò ad os defuncti applicata, nulloque prorsus motu agitata, abesse dudum animam arguebat. Inter hæc vulgata Guilielmi mors, non paucos Hemertanos, ac præsertim familiares mortuo, excitauerat; siue ad spectaculum, siue ad funus extincti. Par erat omnium miseratio ac dolor, Guilielmi vultum ægrè noscentium. Cernentes itaque amici de iuuenis vitâ iam actum esse, quod vnum restabat, cælestem Siluaducensis auxiliatricis opem pro se quisque lacrymantes exposcere cœperunt. Constat, fuisse omnino quindecim, qui se Guilielmo, si reuixisset, Siluamducis vsque futuros comites vouerint, vno ore animoque. Pondus habuisse has voces ambiguum nemini fuit.

 Nam

M. CCC. LXXXIII. Nam repentè victâ excussaque morte, quæ triduum tenuerat, & vita corporis, & loquendi facultas secuta est; cunctis diuinæ magnitudinem potentiæ, inprimisque MARIAM Siluaducensem, summâ laude vsque ad cælum efferentibus. Sed gaudium illud, sicut humana omnia, mox inopinatus dolor subsequitur. Iuuenis enim, dum sermones lætos cum suis gratulantibus confert, ex improuiso multa turbans, eripiente mentem furore, insanire vehementer cœpit. Is ardor sic eius vires accendit, auxitque, vt validi ad sex homines ægrè luctantem compescerent. Prima rabies in ipsam matrem se effudit, cuius vultum haud dubiè dentibus fœdasset, ni fidæ circumstantium manus infortunium auertissent. Intereà gliscente vi morbi, bacchari æger, brachiaque & crura miserandum in modum dispergere, furiali voce viciniam implere, nullum violentiæ genus intentatum relinquere. Maximus omnium terror fuit. Excellebat tamen matris consternatio ac dolor, filium, seque lamentabili gemitu deplorantis. Hærebat interim animo memoria recentis adhuc beneficij, & vitæ filio paullò antè per Deiparam restitutæ. Non ideò reuixisse, vt sic periret: quæ corporis curasset vitam, ei mentis tranquillandæ curam potiorem fore: ex duplicis miseriæ depulsione Augustæ MARIAE gloriam duplicatum iri: ipsam beneficium quod inchoasset, absoluturam. His cogitationibus animata mulier, Dei Parentem quà votis quà muneribus demereri constituit. Spondet igitur

pondo

pondo trium ſimulacrum virile cereum Virgini donum; vini, tritici, auriq́ue & argenti definitum pondus adiecturam promittit. Sic illa quidem plus ſpei in auxilio optimæ Virginis, quàm metus in ſuâ ac filij aduerſitate conſtituens, largiorem quoque expectatione ſuâ dexteram Diuæ experta eſt. Nam & eodem tempore conſedit Guilielmi furor, & mens ad priſtinum ſtatum reuerſa, lætam quoque ſerenitatem in corpus diffudit; nihil ampliùs turbidum, nihil inſanum moliens, agitánſve. Amicis verò atque Eliſabethæ immenſa quædam lætitia affulſit: adeò res illa exſpectationem omnium vicerat. Paruo deinde interuallo integra totius corporis valetudo ſecuta, Guilielmum noxæ omni exemit; ac tum ipſi tum ceteris miraculi ſpectatoribus, matriq́ue, curam implendi quamprimùm voti iniecit. Ergo ritè neque ſegniter ſuſcepto itinere, è familiaribus XV. voto omnes adſtricti, Guilielmum cum Eliſabethâ matre Siluamducis deducunt; & peractis, de more, ſacris, Diuæq́ue beneficentiâ ſingulari paſſim deprædicatâ, Hemertam alacres exultanteſq́ue reuertuntur. M CCC. LXXX III.

CAPVT LXII.

Tribus crura ſanantur.

IDem dies Iunij menſis octauus, plurium miraculorum annotatione non tantùm fecundus, ſed partium quoque ac membrorum ſimilium curatione VIII. Iun.

M. CCC. LXXXIII. memorabilis fuit. Tres è diuersis regionibus homines, si non morbi, certè membri paris, haud dispar remedium Siluæducis inuenerunt. Et Ioannes quidem Euerartius Petri filius, ita dextro crure laborabat, vt noxa remediis superior esset. Iugis sanies aperto semper vlcere manans, neque cutim sinebat coire, & ingenti cruciatu miserum torquebat. Non solatia humanæ tantùm artis, verùm etiam preces, præsentissima alioqui laborantium medicina, incassùm adhibitæ fuerant. Votis quoque conceptis, ac nuncupatis, nihil profectum. Intra finem anni vertentis Medicorum septem industriam morbus lassauerat, à quibus remediorum plurimum, sanitatis nihil allatum est. Ita dum pus continenter stillat, contagione sensim in proximas partes deriuatâ, ægro cuncta in perniciem verterunt. Tandem salutare fuit cælestis præsidium Reginæ, quæ inuocata mox præstò fuit; ac iacentem sic erexit, vt intra quartum ac decimum diem à Flandrorum Stelantiâ Siluamducis, tibiâ obsequium præstante, accurrere potuerit. Huic superuênit, cum Arnoldo

VIII. *Iun.* Noudio coniuge, Aleydis, ex Heycopiâ inferiore Vianensis agri, & ipsa crure, sed sinistro, magnas acerbitates ferens. Quippe immodicus tumor insederat, nunc ferrugineum, nunc sanguineum colorem ducens. Dies XIV. lectulo affixa fuerat, cùm feruidâ precum vi sedatum est malum, & intra quartum diem sic discussum, vt mulier valida Siluamducis perrexerit, ac Diuæ sanitatis procuratrici gratulata sit. Mox quoque

quoque Fridericus Wannemakerus, atque Elisabetha coniuges adfuêre. Tres abierant hebdomadæ, postquam illi Vltraiecto ad Aquas-grani processerant, votiuam peregrinationem obituri. Iam aliquantum viæ confectum erat, cùm ingruente dolore subitò eò redactus est Fridericus, vt non valeret vltrà mouere vestigium. Nam caro dextræ tibiæ sic intumuerat, vt rustici vasis, in quo ex lacte butyrum cogitur, æquaret modum. Ergo, cùm ad cruciatum suapte sponte peracerbum accessisset quoque molestissimum onus, necessariò iter abrumpendum fuit. Ceterùm, cùm indies cresceret atrocitas morbi, maluit Fridericus Siluaducensem tot miraculorum effectricem, quam Medicorum manus ac ferrum implorare. Quare intentiore curâ ad opem diuinam sese conuertens, suppliciter medicinam postulat, tot nationibus terrisque communem. Nec supplicatio irrita cecidit. Namque è vestigio meliùs esse Friderico cœpit; tumor quoque resedit omnis, & consuetam tibiæ habitudinem maior pristino vigor erexit. Par etiam in adeundo Diuæ sacello, gratiisque referendis, alacritas extitit. M. CCC. LXXXIII. VIII. Iun.

CAPVT LXIII.

Femina morbo è viuis sublata, vitam accipit.

PÆnè totidem sunt moriendi genera quot hominum. Vna leti dies cunctis imminet; sed non vnus leti modus. Morbi quoque spatiis differunt, IX. Junij.

M. CCC. LXXXIII. dum quorumdam vitam breui exitu claudunt, alios lentâ diuturnitate exercent, ac dolorum magis, quàm ætatis senectutem extendunt. Documenta haud alibi ferè crebriora, quàm in hac nostrâ narratione spectaueris. Nunc subitum inexpectatæ mortis imperium, Deiparæ moderatione temperatum, cognoscet posteritas. Gastera, Veteri-Siluæ adiacens pagus, incolas habuit Ioannem Potterum cum vxore Aleyde. Hanc ægra ex improuiso valetudo sic afflixit, vt antequam remedia comparari possent, vitam adimeret. Maritus, vt mortuam coniugem in conspectu habuit, quamquam vehementi dolore angebatur, pietatem tamen lamentis prætulit, & quà voce, quà animo ardenter sese totum in preces dedit; haud dubias à Siluaducensi Seruatrice suppetias sibi pollicitus. Nec intra precationes pietas stetit. Præter triticum, etiam aurum argentumque à se appensum iri, spondet; non ignarus, hisce donis dicandis plurimos ærumnis vexatos, & gratiam MARIAE Virginis, & miseriæ alleuamentum impetrasse. Nec diu se rogari Deipara voluit. Aleydis enim, cùm duas non ampliùs horas vitâ & sensu caruisset, non tantùm sine incommodo, sed etiam sine indicio tam perditæ modò valetudinis repentè surrexit; vnaque cum viro & vicinis, ei, cui vitam debebat, præconia gratesque Siluæducis persoluit.

CA-

M CCC. LXXXIII.

CAPVT LXIV.

Puerperam simul & fetum seruat Deipara.

NOn grauiora morientem, quàm nascentem hominem pericula infestant. adeò vita nostra, vbique similis sui, perinde aditus atque exitus suos difficultatibus impeditos habet. Nec tantùm qui in lucem mittuntur liberi, sed etiam matres, quæ enituntur, in discrimen veniunt; pari propemodum infirmitatis conditione. Id persæpè in singulis ostendimus; nunc gemina in duas, matrem ac filiam, clades extenditur. Lugduni Batauorum ciuis erat Ioannes Vander-Heydius, cuius vxor Gertrudis vterum ferens in ipso pariendi articulò vnà cum fetu pænè interiit. Nam summa prolis egerendæ difficultas spiritum matris intercluserat, omni sensu, vt videbatur, destitutæ. Auxiliatrices feminæ plenæ desperationis, ac perculsæ, ad ploratum magis, quàm ad subsidium ferendum sese conuerterant, Gertrudem iam è vitâ abiisse credentes. Atque vt malum malò seritur, haud leuior pernicies infantem presslit, velut maternæ calamitatis heredem vnicum. Siquidem & hæc, grauissimo correpta malo, pro mortuâ deplorabatur. Caro prorsus tetra squalidam nigritiem induerat, haud obscurum mortis præsentis indicium. Cùm plus quàm duas horas, desperatâ ab omnibus vtriusque salute, sic exanimes iacuissent, Ioannes diuinæ fiduciâ clementiæ firmauit animum, IX. Iunij.

M. CCC. LXXXIII. mum, ac votum concipit, si ea clades è domo suâ emota esset, Siluamducis cum vxore ac filiolâ se petiturum. Eo voto permota Deipara, viro coniugem cum sobole reddidit: quæ omnium miraculo ad se redeuntes, nullum deinceps valetudinis vitium sensêre. Puella subinde, sacris Baptismi vndis lustrata, Gertrudis nomen accepit; cumque iam septem hebdomadarum processu satis corroborata vtraque videretur, cum magnâ vicinorum parte, qui miraculi aut conscij, aut testes fuerant, ad ipsam miraculorum sedem, Siluamducis, gratulabundi processêre.

CAPVT LXV.

Nautæ periculoso errore liberantur.

IX. *Iunij.* QVæ toties ægris salutarem tulit opem Deipara, nunc se ductricem præstat errantibus ignoto mari, cursuque. Hamburgi XIV. partim vectores, partim nautæ conscenderant, cereuisiæ dolia non pauca in Flandriam deportaturi. Solemne verni ieiunij tempus satis pacatam nauigationem spondebat. Verùm vbi longiùs pelago inuecti sunt, sic à consueto itinere deerrarunt, vt, siue præstigiis oculos fascinantibus, siue locorum imperitiâ, totos dies XIV. fluctuarent, incerti quónam ferrentur. Nam neque signorum ortus obitúsve notare poterant, neque Septemtriones ab Austro aut meridie discernere, neque vllam telluris oram vestigare. Quocumque procellarum ageret impe-

impetus, iactabantur; nunc insidiosa nauigantibus vada cautesque, nunc cibariorum inopiam haud vano animorum præsagientes metu. Hæc tam tristis ac longa nauigationis mora Henricum Vander-Haghium nauarchum compulit, vt totam in vno Deo eiusque Matris bonitate spem collocaret. Procumbens igitur, Numinisque & Virginis fidem implorans, vt se suosque reduces domum sistant, orat & obtestatur: missurum è suis quempiam Siluamducis, qui emptam floreno candelam ceream ante aram Diuæ accenderet; nimirum testem eiusce claritatis ac lucis, quâ illuminante, speraret ipsos ex hac errorum nocte atque caligine, in certam susceptæ viæ notitiam redituros. Nox erat, quando Henricus exoratam hac prece Virginem propitiauit sibi. Verùm simul vt primo diluculo tenebræ depulsæ sunt, statim & maris regionem agnoscere, & terram in conspectu habere cœperunt. Nec ampliùs eos fefellit via, & cursum & portum vnà aperiens. Postquam verò exscensum est, Henricus famulum suum Hermannum Reedberum Siluamducis dimisit, qui tum gratiarum actione, tum votiuo luminari illud mundi sidus veneraretur, quod caligantes mortalium oculos, & occæcatas erroribus mentes, suaui fulgore collustrat, atque in viam reducit. Hermannus paullò antè periculi, nunc felicitatis particeps, haud cunctanter hero, tam iusta imperanti, obsecutus est.

M. CCC. LXXXIII.

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT LXVI.

Femur & crura quorumdam vitijs eximuntur.

x. *Iunij.* PAria huic miraculo & illa fuere, quæ x. Iunij die ad æditúos delata sunt. Ermgardim Gerardi, femoris graui noxâ contactam, nec se, nisi alieno ministerio, mouentem, postquam id mali mensem durasset, Siluaducensis præsidio Diuæ, incolumitatem Embricæ recuperasse: Petrum prætereà Boschium Alfensem, cui nouem hebdomadis sinistra tibia & vulnere & tumoribus à canis morsu illatis excruciata fuerat, eodem medicamento diuinitus curatum: Embertum item Guilielmi aduersus sinistri cruris vitium minimè leue, precibus Virgini oblatis vsum esse euentu penitus felici. Distat ab Iselâ flumine circiter M. passus, pagus quem incolæ Vn̄am vocant, S. Georgij cultu apud proximos maximè celeber: nec longè abest ab Epâ pago eiusdem regionis; à Dauentriâ autem atque Hattemio Geldriæ vrbibus pari ferè vtrimque interuallo dissidet. Hîc iacebat Embertus, totâ ea corporis parte, quæ à coxendice ad sinistrum pedem porrigitur, ita captus ac debilis, vt ne motionem quidem vllam aut contactum sustineret, atque in lecto sex mensibus assiduus esset. Nusquam, nisi alieno ministerio, & acerbâ membrorum vexatione, transferebatur. Sic constitutum fortè Valerius Ghisæus accessit, ac docere instituit, in Siluaducensi miseriarum omnium

nium expultrice ſpem figendam eſſe: eam rarò ſine effectu, ſemper cum fructu rogari: ſuauem ſentiri, non tantùm dici: nec magis vicinos, quàm remotos populos tantæ clementiæ teſtes exiſtere, atque inde ſolatium rebus aduerſis, animis gaudia, corporibus vires reparare: neminem, niſi perire vltrò cupientem, à MARIA deſtitui. His confirmatus æger, & deſiderio ſuo, quàm amici conſilio cupidiùs obſequens, enixè precatur Virginem, vt ſaluti ſuæ conſultum velit: ſe quidem ad ſedem eius adeundam, magno animi ardore impelli; & porrò, ſi per ipſam detur, aditurum conſueto peregrinantium ritu ac modo. Et confeſtim voti virtus ſe prodidit. Exinde enim fulcris nixus cœpit progredi, ac citra menſem, damnato eorumdem vſu, ſuis fultus viribus inſiſtere longiuſque ambulare; donec illa ipſa debilitatis adiumenta in humeros ſublata, ad aram Siluaducenſem lætitiis triumphans exilienſque deportauit. M. CCC. LXXXIII.

CAPVT LXVII.

Puer aquis merſus reuiuiſcit.

PLerumque pueri in aquis mortem amant, & inueniunt; nitore placido in certam perniciem decente. Ea ſors Godardi Petri fuit, qui in aquas delapſus, nulloque ſuccurrente extinctus eſt. Alter erat ſolemnium rediuiui Chriſti dies. Parentes Ioannes Balduinus & Chriſtina, Almkereæ, vbi res accidit, tunc *x. Iunij.*

V 2 habi-

M. CCC. LXXXIII. habitantes, adeò triſtem filioli caſum ignorabant. Ergo immortuus aquis Godardus latuit, donec tertiâ, quàm perierat, horâ extractus fuit, ſibi ipſe diſſimilis, penituſque deformatus. Lutoſa illuuies vultum mutauerat, letali colore ac gelu perfuſum. Mater fortè prior in puerum incidit; quem mortuum conſpicata, tantò acerbiùs defleuit, quantò maior eſt matrum in teneros, quàm in adultos liberos, amor & indulgentia. Obuerſabatur tamen animo ſalutaris Patronæ Siluaducenſis memoria. Quâ incitata mulier, dulciſſimam Virginem ſupplex rogat, vt & orbitatis ſuæ, & puerilis innocentiæ miſereri velit: ipſam cum donis, ſi Godardo vita reparetur, profecturam ad aſylum gentium omnium, Siluamducis. Mox Diuam, in mortalium ſalutem ſemper intentam, miſeratio ſubiit afflictæ matris. Vita mortuo, filius matri redditus eſt: quæ omni honore conſolatricem Diuam proſecuta, quidquid de ſe pollicita fuerat, ſummâ fide perfecit.

CAPVT LXVIII.

Altero crure mancus confirmatur.

XI. *Iunij.* CONtinere ſe in hoc beneficiorum genere Diua non potuit; ſed interdum extra conſuetos benignitatis fines ſe effudit. Ioanni Veldio Marenſi, quidquid infra coxam dextram membrorum extenditur, graui hebdomadarum XII. debilitate eneruatum erat; ex quo ſic claudicabat, vt nec ingredi poſſet, nec inſiſtere,

ſiſtere, & perpetuum ac peracerbum dolorem ſuſtine- M. CCC. LXXXIII.
ret. Fortè obdormierat, cùm auguſtam cæli Imperatricem præſentem ſibi conſpicere viſus eſt, præcellenti maieſtate conſpicuam. Tum illa, Age, inquit, Siluamducis proficiſcere, viſe ædiculam, & nomine meo & beneficiis inclytam. Cum votiuo munere, & his, quæ te circumferunt, fulcris, illuc peruenire te volo. Ne quid ambigas, omen præſentiæ meæ erit ſanitas tua. Ioannes tam læto recreatus nuntio mox expergiſcitur, atque impenſiùs etiam, quàm exigebatur, præſcripta ſedulò ſeruaturum promittit. Dignus repentino Diuæ auxilio eſſe viſus eſt. Nam lenitus confeſtim dolor intra menſem penitus abſceſſit, ægroque copiam fecit, tum laudandi Deiparam ſanitatis auſpicem, tum dono aliquo Siluamducis delato teſtificandi pietatem ſuam.

CAPVT LXIX.

Puer è ſublimi delapſus vitam recuperat.

ELiſabetha, Hugonis Roueri vxor, ingentem quoque gaudij materiam à ſuauiſſimâ humani generis Conſolatrice accepit. Swyndrechtum in Flandriâ pagus admirandæ rei celebritatem vulgauit. Ioannes, Eliſabethæ filiolus, in ſubliniorem domus crepidinem aſcenderat: vnde cùm præceps corruiſſet, duas ampliùs horas exanguis iacuit, animâ miſerabiliter amiſsâ. Matri nota erant cæleſtis Reginæ apud Siluaducenſes miracula: multa ſciebat accidiſſe diui- xi. Iunij.

M.CCC. LXXXIII. nitus eiusdem interuentu MARIAE, sperabatque, si eam Aduocatam apud Filium interponeret, vitam puero facilè recuperaturam. Abiicit ergo corpus supplex in terram, rogatque fidenter, vt Ioannem sibi ereptum, quod posset, restituat: sese cum rediuiuo impigrè ad ædiculam famâ nobilem aduolaturam. Et votum à Deiparâ probatum fuit. Nam Ioannes, subitò alacer ac valens, vitam maternis precibus condonatam denuò exorsus est; antè à suâ, nunc ab ipsâ Dei Matre in lucem editus. Quinto igitur die, quàm reuixerat puer, à matre Siluamducis deducitur, diuinam benignitatem miris laudibus euehente.

CAPVT LXX.

E carcere innocentem Virgo emittit.

XI. *Iunij.* MVltos quidem morti, quosdam carceri, velut mortis vestibulo, liberatrix MARIA exemit; omnibus mortalium, quasi liberorum suorum, ærumnis æquè propitia. Maternum certè amorem Gerardus Dullichius in grauissimo vitæ discrimine perspexit. A Monte S. Gertrudis, patriâ suâ, Dordracum petierat, vbi comprehensus, & in publicam custodiam traditus est. Nimirum pugnas mouisse, & quietem ciuium violasse, accusatores criminabantur; idque facinus capitali noxæ habebatur. Et quamquam ille se falso crimine onerari contenderet, plus tamen quàm tres hebdomadas carcere asseruatus est, in maiore exspecta-

ſpectatione ſupplicij, quàm libertatis. Interceſſores M. CCC. LXXXIII.
quoque omnes à iudicibus abiecti erant, nulli, quamuis maximo, oblato pretio, nulli deprecationi, manifeſtum rerum capitalium condonantibus. Quaterni quoque aut quini amici, vadimonium haud grauatè promittentes, repulſam paſſi ſunt; Dordracenſium animis ad reum condemnandum obſtinatis. Ingens deinde pecunia, vnica ſcilicet ſeueriorum legum iudiciorumq́ue moderatrix, fruſtrà, quod ſanè mirum, oblata fuerat. Ergo nihil reliquum erat, niſi vt Gerardus ſententiis omnibus capite damnandus, corpus in ſupplicium & mortem daret. In hoc angore animi æſtuq́ue curarum verſantem, opportuno ſermone atque conſilio, ſuperueniens frater conſolatus eſt. Aiebat, nocte proximâ acquieſcenti ſibi præcelſam mundi Reginam adſtitiſſe, blandaq́ue oratione hortatam eſſe, Adiret ad vinctum fratrem; iuberet læto eſſe animo, ac Siluamducis proficiſci: lineâ item veſte pileoq́ue ſparteo indutum, ædiculam ſuam viſere: nec de liberatione ambigeret, cuius ipſa vates ac prænuntia extitiſſet. Erectum hoc nuntio Gerardum inſtitit vrgere frater ad votum ex Diuæ præſcripto nuncupandum. Ille ſubſidium diuinitus oblatum haudquaquam repudiandum ratus, ingenti alacritate pollicetur Diuæ, ſe, amictu ab ipſâ præcepto velatum, ſtatim Siluamducis perrecturum, ſimul ac vinculis neruoq́ue abſolutus eſſet. Cæleſtibus dictis humana facta addiderunt fidem. Nam poſtero die, ne datam à Vir-

M. CCC. LXXXIII. à Virgine ſpem longior mora laſſaret, Senatus decreto Gerardus è custodiâ educitur, & infamiæ culpæque liberatur. Igitur ad Montem S. Gertrudis reuerſus, nec diu moratus, tertio poſtquam è cuſtodiis abiiſſet die, imperata fecit; non paucis familiaribus, quos & paullò antè periculi, & nunc miraculi magnitudo coniunxerat, in comitatum adſcitis. Gerardus ipſe cum fratre, lineo quiſque amiculo veſtiti, ſparteoque pileo tecti ſunt: ceteræ turbæ lanea indumenta placuere, & nudati ad maiorem ſenſum aſperitatis pedes: toto itinere nullius alimenti, præterquam panis & aquæ, vſus fuit: commeatus alius religiosè repudiatus. Gratiæ Virgini actæ, preces ac dona perſoluta ſunt.

CAPVT LXXI.

In puellâ ſanguinis admirandus ſudor ſiſtitur.

XIV. *Iun.* NOn ſolùm cuſtodiâ & compede, ſed etiam morbo vinctos gaudet ſoluere, cuius officium eſt, exercere clementiam. Et nunc quidem de ignoto ferè mortalibus, ſed eò grauiore morbi genere dicendum eſt. Difficilior curatio, & remediorum inopia, opitulantis MARIAE potentiam illuſtrant. Lugduni in Batauis Guilielmus Ioannis & Badeloga Gertrudem filiam habuêre, quam inuiſa corporis valetudo miris affecit modis. Proximis Remigialibus initium malo datum eſt, cauſsâ omnibus latente. Nam primùm per nares, perque os puellæ ſanguis manans iugi curſu meare

meare cœpit; mox quoque hac viâ non contentus, per ipsas genas exire, deinde per brachia, crura & singulos totius corporis artus sese effundere. Sudoris tamen, quàm vulneris fluxui similior ferebatur. Ad hæc totum corpus quaquauersùm intumuit, summam cutem tendens, membranæ aut laternæ instar perlucentem. Hoc tantum tamque inusitatum profluuium, neque cruoris assiduè erumpentis copiâ minuebatur, nec dierum noctiúmve spatiis exhauriebatur. Interim, quod æquè mirum, cutis integra nec foramina nec meatus pandebat vllos, per quos cruentus sudor humorem digereret. Tristissimum spectaculum erat, puellam in sanguine suo natantem, & proxima quæque diro colore tingentem cernentibus. Multi ad cælestium iras & prodigia horrificam pestem referebant: cuncti eiusmodi sudores ex hominibus vnquam prorupisse pariter abnuebant: nemo oculis, nemo auditu parem noxam didicisse meminerat. Interim tamen Medicorum auxilia tentare Ioannes voluit, non tantùm in vrbe suâ consulens peritissimum quemque, sed Harlemum quoque profectus, quò eum nobilioris, vt credimus, Medici fama compulerat. Sed is Medicus cuncta in ceterorum morborum depulsionem alioqui prompta, ad hanc infirmitatem comprimendum parum idonea reperit. Igitur omnes omnium conatus incassùm cecidere; cùm qui aut indolem aut remedium morbi ostenderet, nemo prodiret. Sic totum mensem Gertrudis iacuit, insudante semper cor- M. CCC. LXXXIII.

 pore

M. CCC. LXXXIII. pore pariterque inflato; omnium lacrymis & miseratione in ipsam conuersis. Tum enimuerò parentes fessi tædio tot malorum, omnique spe humanâ destituti, vltimâ necessitate mentibus consilium subiiciente, flentes Diuam Siluaducensem rogant, vt pereunti filiæ opem ferat: vel eam vnam esse quæ id possit, vel neminem: salutem puellæ, & reliquorum sibi solatiorum omnium summam ex eâ pendere, quæ numquam suo præsidio supplicantes fraudasset. Sub eius finem precationis repentinam commutationem ægrotæ videre licuit. Quî enim tam diro sudore cruentatam puellam diu illa Mater aspiceret, cuius misericordia toties lacrymis nostris suas addidit? mox igitur & cruoris effusio cohiberi, & corpus tumore liberari cœptum est; atque exinde virium incremento aucta Gertrudis, intra tertium diem sic à morbo confirmata est, vt nullas pristinæ valetudinis vires desideraret. Inde quod ad gratulationem honoremque MARIAE Virginis pertineret, itum est Siluamducis, vbi Gertrude ante aram, famâ celebrem, constitutâ, supplicationem Diuæ pro singulari eius merito detulerunt.

CAPVT LXXII.

Tempestate commutatâ multi naufragio imminenti eximuntur.

XIV. *Iun.* HIs rebus apud Belgas aucta Diuæ veneratio, etiam longinquarum nationum vota excitauit, versus Septemtriones Prussiam Liuoniamque incolentium.

lentium. Ex illis enim regionibus, & periculi magnitudine, & numero periclitantium nobile miraculum allatum eſt. E Flandriâ ſub autumnum ſoluit onеraria nauis, impoſito ſale; &, ſeu vectoribus, ſeu nautis, duobus & triginta. Euerardus Herwardenus nauclerus, nauigiique dominus, ceteris præerat, curſum in Liuoniam intendens. In Regio tamen Monte, celebri Pruſſiæ vrbe, domicilium fixerat, eódem expeditis negotiis reuerſurus. Egregia tempeſtas à terrâ abeuntes in altum prouexerat, ſecundaque vtentibus aurâ progreſſum felicem oſtentabat. Sed plerumque ſunt breues nauigantium lætitiæ, à vento & mari, inconſtantiſſimis auctoribus, pendentes. Itaque ſubitò coorta procella cum magno fragore turbinibuſque, tam denſo cælum operuit nimbo, vt propè omnem eius conſpectum trepidantibus abſtulerit. Furentes æſtu fluctus erigebat mare; iiſdemque mox violentè diſiectis, hiatus vaſtiſſimos nauigio laboranti pandebat. Parùm aberat extrema pernicies. Namque vndæ ab omni parte in onerariam incitatæ, ſic in eam ſe infuderant, vt nec armamenta tractari, nec officia nautica adminiſtrari poſſent. Ergo mutuis prohibiti auxiliis, & aquis vndique ingruentibus, frigoreque impliciti, cùm pauor ac deſperatio in omnium vultu emineret, ſuſceptum laborem deſerunt tuendæ vltrà nauis, vitæque. Cumque iam propè eſſet vt perirent, ſubiuit animos memoria gratiſſimæ curæ, quam Siluaducenſis Patrona ſuis clientibus, in diſcrimen adductis,

M ccc. LXXXIII.

Coninxberghe.

M. CCC. LXXXIII. terrâ marique impenderet. Tot publica Virginis beneficia quid aliud esse, quàm totidem ad opem eius exposcendam inuitamenta? Hac adiuuante Reginâ, ipsos quoque breuî optabilem, ex miserrimâ, fortunam habituros. Eiusmodi ergo cogitatione meliores nunc animos accendente, mutuæ fiduciæ impleti, ardenter pro se quisque vota coniungunt; vnoque clamore testantur, fixum ac statutum ipsis esse, si infortunio caruerint, per vnum aliquem de suo numero, quem sors legisset, votiuo munere Siluamducis misso, honorem procurare auxiliatricis Diuæ. Eo voto reparata omnium spes, salutis etiam curam integrauit, pristino torpore damnato. Mox enim, quantum tempestas permitteret, sortitionem instituunt, quâ Andreas Lessinius profectioni Siluamducis capessendæ destinatur. Qui cùm libenter sortem admisisset, è vestigio tanta tranquillitas extitit, vt non venti modò lenirentur, verùm etiam nulli omnino spirarent. Sed & sali pacata rabies incredibili felicitate, in malaciam se vertit, labore metuque fatigatis requietem ac respirationem indulgens. Confestim quoque haud dispares nocti vmbræ depulsæ aperuerunt lucem, & amœnum solis iubar, quod per tres dies tempestatibus exactos abditum fuerat, gestientium oculos & studia recreauit. Namque antiquissima omnium cura fuit, intermissâ tantisper nauali operâ, gratias, vt par erat, diuino agere Numini, Virginique MARIAE; quòd tot tantisque malis, quorum tamen modò non pœniteret, supe-

superiores effecti, damno, non tantùm periculo liberati essent. Hinc alacriores, adhibitâ sollicitudine ac labore, vndas per totam carinam diffusas egerunt; foros expurgant, armamenta recolligunt, &, flantibus iam ventis commodioribus, vela pandunt. Aura igitur, velut diuinitus temperata, leniter increbuit, & placidissimo cursu perfunctos in eum, quò intendebant, Liuoniæ portum introduxit. Ibi incolumes ad vnum omnes in terram expositi, Andream Lessinium, quem sors designarat, Siluamducis dimiserunt, qui MARIAE, tempestatum ac periculorum propulsatrici, cunctorum nomine, non tantùm grates persolueret, sed donum etiam memoriæ ergô ferret. Id quod ab illo sic est præstitum, vt itineris laborem in gaudium suum, depulsionem periculi in Deiparæ gloriam commutarit. M. CCC. LXXXIII.

CAPVT LXXIII.

Puella cæca visum recipit.

ILlud miraculum foris, hoc domi à Virgine patratum est. Arnoldus Cloeytius, tot rerum mirabilium famâ permotus, Vandericâ venit, Aleydem filiam, VI. hebdomadarum cæcitate laborantem adducens. Is in patriâ suâ votum fecerat adeundæ Diuæ, si filia aspectum reciperet. Voto profectionem subiungit, atque Aleydem oculis captam eò dirigit, vbi multis multa diuinitus MARIAE Matris meritis, & depre- XVI. Jun.

M. CCC. LXXXIII. catione concedi audierat. Spem bonam habebat, graue malum publico Deiparæ auxilio posse depelli. Ergo Siluæducis, propter Diuæ statuam, animumque vocemque ad precandum intendit. Et ecce supplicatione finitâ, donoque dedicato, puella oculos, cælestis beneuolentiæ vades, aperit; repentè dispicit, & rerum oblatarum discrimina haud cunctanter internoscit. Dici vix potest, quanta ceperit admiratio Marcellum Ossium, Rutgerum Lieshoutium, Laurentium Bodenum, aliosque complures, qui seu inspectores, seu exploratores, rei tam prodigiosæ interfuisse perhibentur. Itaque puellæ oculorum, ceteris pietatis nouum lumen affulsit.

CAPVT LXXIV.

Incendium comprimitur.

XVI. *Iun.* PEregrina res, sed memoriâ dignissima, traditur facta hoc ferè tempore. Sunderta, cui maioris nomen obtigit, Bredani agri pagus est. Huc flammas intulit iuuenilis licentia, in concubiam vsque noctem largioribus poculis indulgens. Primùm igitur tabernam ipsam, quæ compotores tenebat, repentinum incendium corripuit. Vbi flamma lucere ac diffundi cœpit, confestim excita clamoribus vicinia, pro temporis modo ac periculi magnitudine, nihil omittit, quo, si non malum opprimerent, incremento certè obniterentur. Sed ventus quoque, velut in ebriosorum

rum ſupplicium conſpirauit, ac ſcintillas ita latè ſparſit, vt domicilia prorſus XI. conflagrarint, ſoloque æquata ſint. Indè mali vis in ipſam quoque ſacram ædem incubuit, & priùs, quàm ſedari poſſet, abſumpſit. Iam vnicus tantùm paries templi reſtiterat; nec ille quidem à noxâ immunis futurus credebatur. Nam pronus venti impetus, more pabuli flammas alens, nihil intactum relinquebat. Extremo huic muro domus quædam templo adhuc ſuperſtes adhærebat, quam fortè cum Margaritâ coniuge Henricus Grobbius tum incoleret. Qui cùm iam æſtus tectum lamberet, ac tempeſtas porrò flammas vrgeret, nec vlla ſpes ſopiendi incendij, nimirum fumante iam tecto, ſupereſſet, cæleſte præſidium inuſitato elementorum furori opponunt. Ergo prouoluti in genua, ad Deum eiuſque Matrem conuerſi, ſupplices tendunt manus; &, Tu, inquiunt, dulciſſima Mater, ſpes omnes noſtras tuere propitia: domus noſtra ſit donum pariter ac monumentum fauoris tui. Videat poſteritas domicilium, per te inter cineres & proxima buſta ſeruatum. Nos quidem credimus, etiam flammas obſequij tui capaces eſſe. A nobis hanc ſponſionem accipe: Ibimus, ibimus Siluàmducis, ſoloque pane & aquâ contenti, corpora quoque aſperiore cultu affligemus, & pedibus nudis capeſſemus iter. Vix finierant votum, cùm procellæ vis cæleſti imperio aliorſum repentè coacta, & tanta ignium atrocitas in ventum iam mutatum diſperſa, præſentem Diuæ opem, incendio longè

M. CCC. LXXXIII.

M. CCC. LXXXIII. longè potentiorem esse, monstrauit. Neque verò promptior fuit Henrici anxietas ad vouendum, quàm ad soluendum religio. Nam redditis in loco mox gratiis, decimo deinceps, quàm incendium posuerat, die Siluamducis iter intendit, ac Deiparæ potentiam luculento testimonio affirmauit. Ita & miseria supplicum precibus, & intempestiua potatorum temulentia vltricibus flammis vindicata est.

CAPVT LXXV.

Puero aquis suffocato vita redditur.

XVII. *Iunij.* QVemadmodum viuunt parentes in liberis, ita nunc in rediuiuâ sobole parentum vitam, non solùm lætitiam, Deipara renouat. Guilielmus enim Berchius haud obscurum eiusmodi clementiæ à MARIA proditæ exemplum fuit. Parentes habuit Henricum Berchium atque Gertrudem; in Elstano Batauiæ pago; qui cùm Siluamducis filium traducerent, tertiumdecimum ab infortunio diem adesse memorabant. Præcipitatus in aquas puer per tres horas iacuerat; vitâ inter vndas effusâ, vultum nigredo subierat, artus reliquos fatalis pigritia, & commune morientibus gelu. Parentes ac familiares inopinatæ rei stupor primùm defixerat: verùm mox emerso ab stupore animo effusi simul omnes in fletum, pietati magis quàm dolori frænos laxarunt. Ergo nixi genibus ad XV. homines desideria sua exponunt Siluaducensi Diuæ. Pro-

Profectionem vouent, & in eâ obeundâ laneæ vestis M. CCC. LXXXIII.
vsum, nudatos pedes, vini triticique conceptum pondus. Nec mora: quod optarant, assecuti sunt, & Guilielmus in conspectu tot astantium reuixit. Sic Diua quidem parentibus sobolem, parentes Diuæ votiua munera repræsentarunt, XX. prodigiosæ rei spectatores Guilielmo atque Gertrudi Siluamducis petentibus adiunxerunt sese. Memoria tabulis publicis consignata est.

CAPVT LXXVI.

Duobus subterranei loci graueolentiâ exanimatis Virgo subuenit.

ÆQuè insolitum diuinæ potentiæ opus fuit duorum hominum, qui iamdiu exanimati iacuerant, restituta vita. XVIII. *Iunij.* Maritimam Flandriæ oram hoc anno Britanni infestis armis vastabant, tanto incolarum metu, vt exiguam haberent victoriæ, aut certè melioris fortunæ spem. Eminebat opulentiorum trepidatio, quorum copiæ hostilem ferè auiditatem vehementiùs ad prædandum exacuunt. Slusæ tum Guilielmus Tackius vir nobilis, de periculi euentu sollicitus, haud segniter rerum suarum satagebat. Nam pretiosiorem supellectilem, gazamque omnem, non aliò tutiùs se coniecturum credidit, quàm in receptaculum sordium domesticarum: hostem, si vrbem opprimeret, fœditate loci auersum, alia omnia perscrutaturum. At Britanni retrò versi Slusam non attigêre.

M. CCC. LXXXIII. Sublato igitur timore, de recuperandis rebus anxius Guilielmus, mercenarios tres conducit, qui latentem egerant gazam. Octauus agebatur à Pentecoste dies, cùm operæ labori admotæ purgamentis primùm omnibus cauernam exonerant: tum vnus eorum ad ima demittitur, collecta vasa exportaturus. Sed is immani odoris grauitate præfocatus, ne sermonem quidem sociis, diu multumque vociferantibus, reddidit. Tackius partim hortari, partim increpare reliquos cœpit, ne sodalem in vltimo periculi deserant. At verò superstites, alieno docti malo, imperata detrectare perseuerant. Tum denique apparuit, quò se indoles cupiditatis abiiciat. Nam Guilielmus, negligentior vtique vitæ, quàm auri (tam indignè in subditos auaritia consulit) haud minùs periculosum, quàm turpe ministerium occupat, & fune subter axillas constricto suspensus, in foueam delabitur. Ibi iacentis exanimum corpus reperit, alleuatumque laborat educere. Sed grauceolentiæ densum virus, conclusi pridem aëris tabe prognatum, Guilielmi quoque spiritum repentinâ interclusione oppressit. Itaque prolapsus ille priori cadaueri adiungit suum. At qui suprà constiterant, identidem Guilielmum appellitantes, cùm nulla vox rediret, hærebant attoniti, similesque stupentibus: & maiorem subinde clamorem sollicitudo exciebat, præsertim respondente nemine. Ergo raptim vincula quibus alligatus erat Tackius, ipsumque, sed iam extinctum, è profundo ad se trahunt. Vxor Posteluna pro-

strratum

ſtratum humi corpus gemitu eiulatuque miſerabili M. CCC.
deplorat. Iamque tantum abierat temporis, quantum LXXXIII.
permeandæ ſemel vrbi ſatis eſſet, cùm iniecta mœrentis animo ſpes, eam vertit ad implorandam Siluaducenſis Patronæ opem; quæ tam prompta adfuit, vt mox Tackius reuiuiſceret, etiam ſaltu erigens corpus, lætaque ſciſcitans voce, vnde veniret, quídve ſibi factum eſſet. Tum cura inceſſit animis ſalutem alterius, qui ad tres iam horas deceſſerat, quâ poſſent, procurandi. Extracto igitur è foueâ cadauere, cæleſtis paullò antè adiutricis fauorem tam euidenter experti, eam precibus vrgent, ne ſocium miſeriæ, conſortio felicitatis excludat, néve dimidiato beneficio partem gliſcentis iam lætitiæ decerpat. Eas preces pænè ipſa, quæ rogabatur, præuenit, & mortuo vitam, ceteris gaudium reduxit. Neque ſegniter cum incolumi marito Poſteluna Siluamducis profecta, fidem quam Reginæ Cælitum obſtrinxerat, exſoluit; numquam ſeſe infelicitatis damnatura, quamdiu ad MARIAM pateret aditus.

CAPVT LXXVII.

Infans à morte, quam ſomno iunxerat, in vitam reſtituitur.

NOn ſemper potentiæ ac ſplendori fortuna infeſta XVIII.
eſt. Etiam infirmæ ætatis obſcuriqúe nominis Iunij.
infantibus notabiles rerum viciſſitudines inſultant. Vixdum menſtruus puer, minaci aduerſitatis nubilo perfuſus, mox in lucem iucundiorem aſſeritur, reuo-

M. CCC. LXXXIII. cante Deiparâ. Lubberta Ioannis Ruſſchij coniux eum rediuiuum Diuæ exhibuit. Quippe in amplexu materno obdormiens, mortem cum ſomno iunxerat, tres non ampliùs hebdomadas numerans. Intra hoc ſpatium idem natus, extinctus, rediuiuus, maximam caſuum varietatem breuiſſimo curriculo abſoluit. Euigilans mulier viuum rata, dum faſciis euoluit, exſtinctum reperit. Verùm vbi plus quàm horam lugendo traduxit, ad Siluaducenſem MARIAM verſa, precibus filio recuperat vitam. quæ mox Otgero (id pueri nomen.) Amſterodami reddita, ac poſteriùs Siluæducis ad aram Diuæ repræſentata eſt, anno ab infantis natali nondum expleto.

CAPVT LXXVIII.

Puer ad vitam in puteo amiſſam reuocatur.

XXV. *Iun.* NOn obſcurioris miraculi memoriam Roſſemium, Gelrici nominis pagus, ſuppeditat. Ibi puer Ioannes, benè manè à Guilielmo Mantelio & Eliſabethâ parentibus digreſſus, improuiſo caſu in puteum decidit; nulloque opem adferente, ſuffocatus eſt. Iamque ad meridiem vergebat dies, quando puella ruſtica ad mulgendas boues, præter puteum incedens, fortè innatantem aquis puerum conſpicatur. Illa funeſto ſpectaculo attonita, clamorum atque formidinis viciniam implet. Accurrunt vndique repentino terrore exciti agreſtes, pro ſe quiſque ſuppetias laturi.

laturi. Itaque maturata vis omnis, & profundo extra- M. CCC.
ctum cadauer, annitente affluentium manu. Tenel- LXXXIII.
los artus rigor obsederat, vt in corpore iam vltra quintam horam extincto. Proinde parentes, damnatâ mortali ope, rati vnam sibi spem reliquam in MARIA Virgine restare, maiores, quàm pro tantâ consternatione, animos induunt, & filij vitam supplices à communi calamitosorum adiutrice contendunt. Iusta Virgini precatio visa; pueroque mox inter tot circumstantes redonata vitæ lux, honorem Deiparæ, populique fiduciam confirmauit. Parentes sexto exinde die Siluæducis votiua munera vinum ac triticum pendêre.

CAPVT LXXIX.

Extincti item pueri duo reuiuiscunt.

VIdetur & puerorum esse labi, & MARIAE Vir- XXVII.
ginis eosdem attollere. Id vita duobus pueris post *Iunij.*
tristem casum restituta affirmat. Balduinus, Gerardi Weckeni filiolus, Werckendami sub currum iusto pondere grauem prolapsus, actisque per corpus rotis obtritus est. Ita plus quàm horam iacuit, omnibus vitæ signis destitutus. Pristinus color in tetrum squallorem versus, rigentes iam artus fœdabat. Sed Gertrudis matris votum, à Siluaducensi Matre exauditum, ipsâ morte potentius fuit. Itaque impetratâ mox filio vitâ, promissum Deiparæ frumentum vinumque, cum non paucis miraculi testibus, Siluæducis exhibuit.

 Alte-

M. CCC. LXXXIII. XXVIII. Iunij. Alterum luti redonatum Ioannem, Nicolai Kemerlinghi filium, vetusti Annales appellant. Is è sutoriâ patris mensâ procidens vitam omnem amiserat. Quippe leuatum corpus pænè sesquihoram exanimatum fuit. Parens, Siluaducensium miraculorum cognitâ famâ, inde subsidium postulare instituit, vnde vix quisquam beneficij expers rediit. Nec vana spes. Confestim clementiam Diuæ expertus Nicolaus, Bredâ, vbi habitabat, Siluamducis votiuum munus ac rediuiuum filium detulit.

CAPVT LXXX.

Infans, in materno vtero mortua, vitâ donatur.

XXIX. Iunij. IAm toties in pueris deuicta mors aliò vertit insidias, & infantem nondum in lucem editam maturatâ pernicie occupat. Sed ne sic quidem tam præceps sæuitia MARIAE vires elusit. Elisabetha Gisberto Spijckio marito filiolam pepererat, infaustâ sorte mortuam antè quàm natam. Ea res præsentes feminas, & matrem inprimis, ingenti dolore sauciauit: præsertim cùm iam ampliùs horam tam præcoci funeri parùm vtiles lacrymas impendissent. Miseratio extinctæ sine cælesti lauacro puellæ, dolorem præcipuè acuebat; donec missæ ad Siluaducensem Virginem preces finem tanto luctui fecêre. Extemplò enim diuinâ vi reuocata ad vitam infans, plus MARIAE Deiparæ, quàm Elisabethæ matri debuit. Inde ad Baptismi

ptiſmi fontem delatæ, Enghelbertæ nomen imponitur; MARIA Virgine ſalutem animæ, non modò corporis procurante. Neque magis propera quàm diuturna infantis valetudo fuit. Quippe quarto poſtquam reuixerat menſe, Werdenberghâ Siluamducis cum votiuis muneribus delata, ipſa viuum tam inſignis miraculi monumentum extitit. M. CCC. LXXXIII.

CAPVT LXXXI.

Virum penè ſubmerſum vndis eripit Virgo Deipara.

TVtiſſimus portus eſt MARIAE clementia, fluctuantibus ſemper patens. Huc ſe feliciter appulit Ioannes, Amſterodami acuendis pectinibus operam locans. Eâ nocte quæ Kalendas Maias anteit cum ſociis duobus cymbam conſcendit, è ripâ Tylæ fluminis paluſtria ſtramenta collecturus. A proximis ripis iam D. paſſus aberant, cùm, reliquis nauigium celeriùs incitantibus, Ioannes, qui puppim inſederat, in fretum præceps excutitur. Amici, nauiculæ impetu longè prouecti, ſocium vi fluctuum abreptum nequidquam requirebant. Et alieni periculi ſpecies ſalutis propriæ augebat curam. Quippe fluuius in magnam ſe latitudinem effundens, perſæpè maritimis ſimiles fluctus mouet. Sic ille dimidio milliari à continenti amotus, gurgitibus iamiam hauriendus fluctuabat. Verùm nulla tam deſperata infelicitas eſt, cui non MARIA inuocata ſuccurrat. Id Ioanni cùm XXIX. *Iunij.*

M. CCC. LXXXIII. in mentem venisset, quantâ potest pietate animi, votum nuncupat Siluaducensi MARIAE. Tam salutaris cogitatio, hinc metu, hinc inuehentium se vndarum concursu iactatum, tres horas totas sustinuit; donec aspirante Virginis aurâ ripam tenuit. Neque tardiùs, quàm socij cymbam agentes, in terram euasit. Ibi promptissimam Deiparæ beneuolentiam veneratus, illi salutem adscripsit suam: neque multò pòst amiculo lineo indutus, Siluæducis votum exsoluit.

CAPVT LXXXII.

Quidam sub plaustrum collapsus periculum euadit.

XIII. Iul. HAud leuiora ab terrâ, cæloque, quàm ab aquis pericula ingruunt: ita nusquam est tuta mortalitas. Ioannes Spernierus, ante octauum quàm Siluamducis veniret diem, atros cespites plaustro vehens, Vdenâ Volkellam petebat. Auxit itineris laborem inclementia cæli, fulminibus tonitruisque fœdè turbati. Neque manere sine clade, nec progredi poterat. Ibi tum demum Deum Deique Matrem, à Siluaducis tam celebrem, inuocans, vrgere iumenta institit, cœptaque viâ promouere. Iam CCC. ferè passus processerat, quando currus euertitur, & Ioannem nequidquam declinantem opprimit. At quamquam prægrauis plaustri moles prostratum corpus afflixerat solo, ille tamen repentè beatæ MARIAE præsidio se eduxit incolumem, nullaque læsum

ex

ex parte. Ita duplici exemptus periculo Ossam reuersus est, indeque Siluamducis exsoluendi voti caussâ aduenit. M. CCC. LXXXIII.

CAPVT LXXXIII.

Puella fluctibus mersa vitam recipit.

PÆnè dubites, promptiórne sit mors ad puerorum necem, an ad eorumdem salutem Virgo Deipara. vtriusque vim Huberta sensit, Ioannis Huberti filiola, Herwynæ in flumen Vahalim prolapsa. Ioannes cum Elisabethâ vxore domo aberant, Gorcomium ad mercatum profecti. Vnde cùm aduersum amnem reuertentes subirent, miserabili sanè spectaculo exanimati sunt: Charissimam quippe filiolam secundo Vahalis impetu defluentem conspiciunt, & mox validis fluctibus obruendam. Iamque antè parentum oculos puella, quater vorticibus hausta, rursumque emergens, extremum sui conspectum præbuisse videbatur. Sed metu tam præsente accensa est parentum spes. Discrimen vltimum strenuas preces expressit. Ergo Virginem Siluaducensem inuocant supplices, & votiua munera pollicentur. Interim abrepta vi fluminis Huberta plus quàm CL. decempedarum interuallo aberat à suis. Ioannes quoque licet, quantâ vi posset, obnixus, efficere tamen haud valuit, quin ad CCCC. ferè decempedas prærapidâ vndarum celeritate aliorsum ageretur. Duplicatus tandem labor eos fluitanti quoque segniùs cadaueri applicuit. XIV. Iuly.

Z Quod

M. CCC. LXXXIII. Quod postquam excepere, mortifero gelu iam rigens, demisso capite per os ingentem humoris copiam manantem eliciunt. Inde, appulso ad ripam nauigio, duas etiam horas in terrâ iacuit puella extincta. Verùm tanta fuit parentum siue in Deiparam fiducia, siue in Hubertam amor, vt nullo precandi facto fine, propitiam tandem senserint Virginis opem. Adfuit enim lugentibus MARIA, & viuam sobolem lætis reddidit. Sic consuetis illâ tempestate muneribus, vino ac tritico, nono postquam acceperant die, beneficium Siluæducis pensarunt, suam calamitatem in MARIAE gloriam versam esse prædicantes.

CAPVT LXXXIV.

Infans apud matrem suffocatus vitam recuperat.

XIX. *Iul.* MARIA plus quàm Mater humani generis nuncupetur, cuius in mortalium liberos amor materno maior est. Hinc & teneram sobolem, ne in matris quidem sinu tutam, ipsa tutatur. Heymanno nomen infanti fuit, quem Capellæ apud S. Gertrudis-Montem Ioannes Guilielmus è Gertrude vxore genuerat sibi. Agebat infans quartam ac decimam noctem, quæ illi propè æterna fuit. Puerpera mater eum periculoso amplexu in lectulum receperat, cùm opprimente altiore somno corripitur. Interim charissimam sobolem nimius amor interimit; atque experrecta Gertrudis, quem viuum ac valentem puerum admouerat sibi, mortuum reperit: sinu suo in tumulum

verso.

verſo. Exclamat igitur,& marito excitato atque conterrito mortuam prolem oſtendit. Is dolore attonitus, ac ſtupenti ſimilis, vbi duas circiter horas, quà amiſſam ſobolem deflendo, quà vxorem miſerando, traduxit, tandem lætiora animo tractare cœpit. Mox etiam ſenſum tanti mali, fiducia Siluaducenſis Virginis adimit. Huic itaque ſupplex vouet, ſe lineâ ſumptâ veſte Siluamducis abiturum, & ſolemnia ibi munera ſacraturum, ſi reuiuiſceret iam plus quàm duabus horis mortuus puer. Tum enimuerò malè ſeruatam à Gertrude filij vitam Deipara reddidit: vtique ſecunda, & melior infantis mater. Vterque autem parens cum ſoſpite filio, tantæ benignitatis participes, poſt decimam atque octauam hebdomadam (ipsâ morâ miraculi firmitatem augente) Siluæducis rem omnem teſtati ſunt.

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT LXXXV.

Periculum capitis ab inſonte in reos auertitur.

ALiquando etiam reis tutiorem Deipara Virgo, quàm ipſorum innocentia opem tulit. Nam facilè, qui non timetur, opprimitur, niſi calculus humano potentior damnatum abſoluat. Opportunè ſanè id MARIA Virgo Paulo Rayſſino præſtitit, inter optimam conſcientiam & iniquiſſimam fortunam deſtituto. Hic Ypris, nobili Flandriæ vrbe, in Brabantiam abierat, Tongerloam, celebre inibi monaſterium, petens. Fortè eo anno vertente iiſdem in locis quidam

XXI. *Iulij.*

MDCCC. LXXXIII. cæde occisus fuerat, auctore sceleris incerto. Ibi Rayffino fit obuius aliquis ex consanguineis interempti, sub ipsum ieiunij Verni initium. Inclinato ad credendum animo, & iam diu frustrà interfectorem quærenti, peregrinitas Paulum suspectum fecit. Haud difficulter persuasum amicis, vt externus homo, & iam oblato falso crimine reus, Tongerloæ comprehenderetur, atque inde Herentaliam vinctus raperetur, homicidij pœnas daturus. Eò vt ventum est, iniectæ homini catenæ, velut facinoris iam deprehensi indices, vix purgandi sui misero fecêre locum. Enimuerò manifesta res visa est, Rayffino præsertim, siue amentiâ ac stupore, siue tormentorum metu, seu accusatorum perfidiâ oppresso. Itaque pronuntiatâ in insontem sententiâ, gladio feriendum edicitur. Sed vigilat Deiparæ oculus, desertæ causæ vnicus vindex. Iam in loco supplicij stabat Paulus, quem calamitas populo spectabilem fecerat. Ante oculos, carnificis gladius, ac præsens mors, ægrum animi non mediocriter perturbabant. Mox tamen iniecta diuinitus retinendæ spes vitæ nouum in Siluaducensi Virgine præsidium inuenit; ac securitatem quidem primùm innocentiâ, deinde Patronæ potentia fiduciam obtulit. Ita erectior iam animus spei addit vota; si infortunio liberetur, linteo amictum Siluamducis iturum, innocentiæ vindicatæ præconem. Mira creditu dictuque res. Simul ille votum tacitus concepit, ecce tibi, duo perpetratæ cædis auctores, è circumstantium turbâ procedunt,

dunt, clarâ voce negantes, permissuros sese, vt sui sceleris, debitum ipsis, supplicium subeat: sibi necem, innoxio vitam deberi. Perculsus eâ confessione iudex, reos ipsorum iudicio in concilium adducit, ac denuò de admisso flagitio profiteri iubet. In quo cùm perstarent, illi capitibus multati sunt; Paulus non criminis, sed voti reus, liber abiit: quæ libertas vt gratior esset, imminentis supplicij fecerat metus. Atque hoc tam prospero euentu lætissimus, cum se Virgini debere, Siluæducis vulgauit. M. CCC. LXXXIII.

CAPVT LXXXVI.

Puellæ vsus linguæ, mentisque tranquillitas reparatur.

MAtris quoque suæ meritis dedit Deus, vt Aleydis puella sexennis inusitato malo solueretur. Pridie Paschæ, ingruentis morbi vi linguæ vsum amiserat. Mutata insuper vultus species intuentibus terrori erat. Strepebat inconditum oris murmur: oculi in terram proni, & velut ignotum aliquid vestigantes, furiatæ mentis perturbationem prodebant. Non corpus, non animus conquiescens, sanè funestum atque horribile domesticis viciniśque spectaculum dabat. Inprimis luctu occupati parentes Alardus atque Aleydis, cùm is pauor diém noctémque durasset, statuunt ad Deiparam Virginem, haud dubium apud Siluaducenses ærumnosorum perfugium, cum filiâ, si ea sanaretur, conferre sese. Et salubre consilium, XXVI. Ian.

M.CCC. LXXXIII. voto confirmatum, superauit mali tam atrocis vim. Nam puella sibi è vestigio reddita, cum parentibus Siluamducis profecta, B. Virginem illic salutis auctorem agnouit. Nec vsquam deinceps verborum inopiâ sermo substitit, cùm velut iniussus flueret, nec promptior quàm lætior in Deiparæ laudes solueretur.

CAPVT LXXXVII.

Naufragis Deipara subsidio est.

XXVIII. *Iulij.* IMplorata quoque à nautis quinque Deipara, haudquaquam spem eorum destituit. Vesaliâ soluerant pridie feriarum D. Nicolai Bertoldus Hontius ac socij, secundo Rheno Dordracum nauigantes. Carbone ac ligno nauis minimè valida onerabatur; iamque in Vahalim amnem descenderat, haud procul Nouiomago ad exscendendum ripam lectura. Ibi, mutatione cæli raptim in contrarium factâ, procellosus ventus exoritur, in incertum nauim abreptam ferens. Cumque iam cursus in tuta dirigi non posset, nauigium vadis impactum hæsit. Conuulsa mox latera & fluctibus peruia, secum homines in profundum datura erant, nisi altior nauis pars, paululum aquas eminens, pendentes ex eâ naufragos leuasset. Tum enimuerò tota eorum spes in Deo Deique parente fixa fuit. Præ ceteris Bertoldus Siluaducensem Virginem obtestatur, ne se irritum spei cum sociis perire sineret: properaturum Siluamducis, ac ceream nauiculam

libræ

libræ pondo dedicaturum. Haud ſurdæ Virgini fuſa M. CCC. precatio. Diuino impulſu in ripam delati omnes, nul- LXXXIII. lâ, præterquam nauis, iacturâ affecti ſunt. Promiſſa apud Liberatricis benigniſſimæ aram procurata.

CAPVT LXXXVIII.

Deſperata ſalus afflicto reparatur.

NOn minor lætitiæ ſeges obtigit Ægidio Oerbe- XXIX. *Iul.* kio Dieſthemienſi, quem alia ex aliâ inuoluerat ſecuta calamitas. Primùm Poperingæ, magno Flandriæ municipio, familiares Flandriæ Comitis arripi hominem, & in vincula duci iuſſerunt IX. Kal. Dec. Atque haud multum abfuit, quin, acceptâ rei capitalis ſententiâ, interiret. Tertiò ſanè ad ſubeundum carnificis gladium raptus fuerat; periculo tantiſper dilato, ſiue ob enatas repentè turbas, ſeu ob pecuniam à ceteris captiuis ad Ægidium redimendum oblatam. Interim ingraueſcente iam hieme ad vincula reiicitur, ac totos tres dies noctéſque, ſæuo gelu durante, alligatus arbori detinetur. Tum pecuniâ ab amicis repræſentatâ, ſolutus, eorum tamen beneficio vti non potuit. Nam acuta frigorum vis ita corpus obſtrinxerat, vt ſe veſtigio mouere non poſſet, paralytico haudquaquam diſpar. Quartum circiter menſem ita virium impotens in ſqualore exegerat, quando mulier eius ærumnas miſerata, cùm nil opis ſupereſſet humanæ, erigendo alternis ſuadendoque impulit, vt à Matre miſe-

M. CCC. LXXXIII. miserorum Siluaducensi salutem exposceret. Quibus ille monitis ad potienda sperata incensus, impigrè voto se obligat, adeundæ Siluaducensis Diuæ. Resque cecidit vt optabat. Mox etenim in lignea fulcra vegetiores iam artus attollens iter arripuit, ac deinde ipsa quibus vectus fuerat, fulcra Siluamducis in Virginis ædiculam lætus valensque deportauit.

CAPVT LXXXIX.

Puer tussiendo extinctus, puella in puteum delapsa, reuiuiscunt.

1. *Aug.* COllata in teneriorem ætatem beneficia opportunè coniungam. Oosterhautæ, qui pagus à D. Gertrudis Montibus haud procul abest, Godscalcus Scoerputius & Iuditha coniuges Henricum filiolum inopinato malo oppressum luxêre. Primùm occulta morbi vis continuos eiulanti puero fletus exciuit, satis manifestos indices ingruentis noxæ funestioris. Diceres moribundum infantem præcinere morti mox adfuturæ, & præsagas funeris sui lacrymas fundere. Hanc plorandi intemperiem superueniens tussis exasperauit, vehementi concitatione Henricum exagitans. Cessit itaque tum naturæ tum ætatis infirmitas tam ingentibus malis; & morti Henricum permisit, interclusum angustiis spiritum opprimenti. Ad duas horas iacuerat exanimatus puer, luctuosum parentibus vicinisque spectaculum, quando ei vitam

magnâ

magnâ precum vi, à Siluaducensi miserorum Seruatrice Iuditha mater exorauit. Tum, receptâ vitâ, cunctos gaudiꝙ perfudit puer, ac deinde ab vtroque parente ad Siluaducensem aram delatus est. Neque votiua munera defuerunt, tantum siliginis, ceræ, lini, atque argenti, quantum suggereret animus beneficij inusitati memor. Subinde Diesthemium non leuioris miraculi fulgorem aspexit, Mechtildi, Godefridi Vorstij filiæ, salutarem. Ea puella in puteum altitudinis tantæ lapsa erat, vt humor despicientium oculos pænè effugeret. Plus quàm dimidiam horam ibi extincta, cùm extraheretur, letali torpore rigentes per artus diffuso, omnem vitæ speciem exuerat. Calore tamen & fomentis adhibitis, num quæ vitalis motionis reliquiæ superessent, explorare placuit. Sed irrita spes conantes destituit. Aleydis mater cadauer sinu complexa, renouabat mœrores suos, iam horâ integrâ postremos gemitus tam immaturo tamque acerbo filiæ leto impendens. Interim propinqui ac vicini, nouâ re trepidi, concurrerant; quorum pietas Aleydi obtulit, quod illi non suggerebat mœstitia sua. Hi vno omnes ore conclamant, Non aliud quærendum esse solatium tristissimi casus, quàm quod columen humani generis MARIA Siluæducis datura sit. Huc tua te impellit calamitas, huc Virginis misericordia inuitat. Ne dubita; ad ceteras suas de morte victorias, etiam hoc tropæum potentissima Victrix adiiciet. Permota his vocibus mulier, breuissimo pietatis labore maximum M. CCC. LXXXIII.

Aa opus

M CCC. LXXXIII. opus absoluit; atque, In manu tuâ, inquit, Domina, pono filiam meam: abs te seu mortis eius, seu potiùs vitæ legem expecto: non iam mea, sed tua Aleydis esto. Confestim & mater & vicini, æqua postulare visi, impetrauerunt. Puella reuixit. Parentum lætitiam, conspectus filiæ, gratulatio amicorum, applausus omnium intendêre. Exinde quinto die (nam Kal. Augusti res acciderat) Vorstius cum coniuge, ac propinquorum manu, Siluamducis progressi, Deiparæ propitiæ, quæ ad ipsam pertinebant vota, detulerunt.

CAPVT XC.

Nautæ discrimen à tempestate ac piratis euadunt.

XI. *Aug.* NVnc in duplex periculum coniectis Deipara, etiam non inuocata, subsidium expedit. Cælestis illa indoles, vbi minus est cladium, accersiri se patitur; in latiorem miseriarum campum vltrò prouolans. Præuidebat sublimis Virgo, in naufragium clientis sui coorituram mox tempestatem, neque longè abesse atrociores ipso mari piratas, in quamlibet prædam intentos: sed vtriusque cladis impetum maturatâ ope præuenit. Nannus Gualterus Harderuicanus, Prussiæ tum incola, è Liuoniâ vela faciebat Zwinam petens, quæ nunc Slusano in Flandriâ portui obiacet. Onerariâ satis magnâ, siligine ac tignis onustâ, tres & quadraginta nautici vehebantur. Ceteris in ministeria sua diuisis, nauarcho, vt adhuc tranquillo cursu, som-

ſomnus non tam laſſitudine aut neceſſitate, quàm M. CCC.
opportunitate diuinitus captâ, immiſſus eſt. Dor- LXXXIII.
mienti aſſiſtere viſa Deipara, ac monere, vt ipſam, vouendâ Siluamducis profectione, propitiaret nauigationi ſuæ. Tam ſalubre ſomnium tempeſtas excepit, & ex eâ vehemens formido omnibus incuſſa. Fœda pelagi facies, obductæ cælo nubes, ventorum diſcordia, ignota fluctuantibus vada, naufragij non iam omina, ſed initia adeſſe videbantur. Tum Nanno in mentem venit cæleſtis moniti per quietem immiſſi. In pietatem ergo neceſſitas verſa: quippe nauclerus oratione ſupplice MARIAE Maris Dominæ, quæ Siluæducis celebraretur, ſe ſocioſque enixè commendat. Ceream onerariæ effigiem, non ingratæ mentis argumentum, ſe conſecraturum adiungit. Ita Virgo tempeſtati finem, cælo nitorem attulit; rurſumque ad fiduciam & gaudium erexit torpentes. Iamque Diuæ gratulantes deſtinata exequi pergunt, cùm nouus ac priſtino maior nec opinantibus terror iniicitur. Haud procul cernunt approperare piratas, armis & apparatu expeditos. Hi directo in ipſos curſu, quibus tempeſtas pepercerat, exitium intendebant. Sed nimirum occurrit illicò periclitantibus tam recens Virginis fauor, denuò velut auxilium, quod priùs quàm poſceretur exhibuiſſet, promittens. Nannus præſertim, velociores imminentibus iamiamque piratis maturans preces, ſpondet Siluaducenſi tutrici, ſi, vt paullò antè naufragio, ita modò latrocinio eriperetur, argenteam nauiculam

M. CCC. LXXXIII. eius aræ donum daturum. Neque celerior fuit ad flagitandum opem Nauarchi ardor, quàm ad ferendum promptitudo Deiparæ. Ipso enim temporis puncto, quo consternatis iam nautis inhærebat hostis, circumacta repentè fortuna, latrones victis, quàm victoribus, similiores effecit. Ventus quippe subitò inhorrescens, tam acri flatu onerariæ vela impleuit, vt à piratico myoparone aliorsùm auulsam tanto interuallo seiungeret, quantum prospicientium oculi vix prosequi possent. Neque piis nautis quidquam Virginis imperio siue potentius siue admirabilius visum fuit: cùm venti, quos paullò antè à supplicum pernicie Diua cohibuisset, nunc in eorumdem obsequium verterent. Quamobrem nouâ alacritate gestientes, extraque periculi sortem prouecti, cœptum peragunt iter; ac breuî in portum delati, securis gratulationibus gaudium explicant. At nauclerus, quem summa rei tangeret, Siluamducis deinde petiit, ac præter magnum pecuniæ numerum, argenteam nauem dedicauit.

CAPVT XCI.

Dæmonum terrores ac spectra fugat Deipara.

XI. *Aug.* NOn odio solùm apud infernos hostes, sed etiam contemptu perpetuo laboraret humanum genus, nisi frequenter adesset Patrona Deipara, vna secundùm Deum oppressorum mortalium vindex. Hæc corpora nostra eorum iugo, animos tyrannidi eximit. Hæc

Hæc Ioanni Pelegrimo, Bruxellæ infestis furiarum intemperiis agitato, quietem pacemque restituit. Illius auunculum dæmon insederat, cruciatibus immodicis, ac præsertim amentiâ, hominem vexans. Qui in templum pertractus, cùm sacris carminibus atque piaculis à Sacerdote lustraretur, Ioannem fortè interuenientem funesto impleuit metu. Æstuabant minaces oculi, plus quàm nostro igne incensi. Capillos horror erexerat: membrorum seipsa torquentium fremitus audiebatur. Totum concitum corpus, magnasque minas agens, minimè humanâ fœditate deprauatum erat. Spiritus coactus ac stridens præruptum turbido murmure sermonem sorbebat. Tam horrendus miserandi hominis aspectus ita Ioannem perculit, vt trepidatione per omnes iam artus diffusâ, teterrimo spectaculo subduceret sese, ac properaret domum. Ibi attonito similis in lectulum abiicit corpus, quietis magis appetens, quàm capax. In totum quippe cubiculum se mox infudit immanis dæmonum turba, properè grabatum ipsumque circumstans. Ioannes, sensibus horrore victis, pænè sui iam impotens erat. Tum carnifices illi energumenum atrociter præ se agere visi, atque ad iacentis osculum complexumque propellere. Quod quamquam spectri, non hominis, qui à templo non aberat, obiectu fieret, perterriti tamen consternationem nouo tormento onerauit. Ad hæc Ioannis quoque fratrem, etsi nil funestum oculis cerneret, tam repentinus incessit pauor, M. CCC. LXXXIII.

M. CCC. LXXXIII. vt ex altero lecto, in quo acquiescebat, velut expulsus ad Ioannem decurreret, in eius complexu si non magis tutus, certè minùs solus futurus. Tum Ioannes Siluaducensi Virgine, cuius simulacrum aliquando adierat, in memoriam redeunte, ex lecto repentè prosiluit, manibusque & oculis ad cælum versis, Vides, inquit, Mater qui me vndique terrores circumstent. Sine te nunc tot monstris, an hostibus? impar sum. Tecum præliantem, etiam inermem, non sequetur, sed præcurret certa victoria. Tantâ duce protegente vel vnicus miles de omnibus inferis triumphabit. Ades igitur, & hoc metu solutum, breuî Siluęducis exspecta. Id supplicis votum Virgini placuit. Confestim quippe ipsamet Ioannis cubiculum ingressa est, eo habitu ac specie, quam ipse Siluæducis spectasse meminerat. Circumfulgebat hinc splendor cælestis; præter hunc suauissimus fragrabat odor: non tamquam omina futuræ, sed decora præsentis victoriæ. Noscebatur quoque Virginis chlamys, Siluaducensem, quando ea, demptis monilibus auroque, ostenditur, egregiè referens. Neque vltrà Ioannem tenuit pauor. Nam Virgo, arreptâ chlamydis suæ laciniâ, in hostilem tetendit manum, ac velut vento impulsam cubiculo eiecit. Dæmonum fugam strepitus horribilis finiit, quadrigarum præcipitantium fragorem referens. Verùm ne quis superesset metus, eâdem nocte se tertiò Deipara Ioanni spectandam præbuit, lætitiam tantam vix capienti. Ac Virginem quidem, non autem turba-

turbatæ mentis ludibrium adfuisse inuocanti, in cubiculo persistens vsque ad solis ortum splendor clarissimus, ac deinceps in alteram vsque lucem spirans diuinus odor satis affirmauit. Sed maximè id euidens fuit, quando Ioannis animus, non solùm corpus sæuitiæ dæmonum ereptum est. Erat quippe Ioannes pietatis negligens, vitio non vni deditus, in popinis quàm templis frequentior. Totos septem annos intermissâ criminum confessione, in omne nefas egerat sese. Insana perpotandi dulcedo, & iuuenilium ludorum licentia, in salutis obliuionem impulerant. At nunc cælesti obortâ luce, perspectâque miraculi tam salutaris magnitudine, ex improuiso in alium mutatus est virum. Itaque mox eripiendæ ex tanto discrimine salutis consilia secum agitare, Sacerdotem ad expianda delicta tot præterita accire; ad matris, cuius reuerentia pridem animo excesserat, genua sese demittere, illius pacem, & offensarum veniam flagitare. Tum verò se de hoc eius consilio, aut Deiparæ potiùs instinctu, sperare optimè & Catharina mater, & domestici erecti gaudio fremunt. Mater præsertim optatâ sæpè indulgentiæ occasione libenter vsa, reconciliatum simpliciter animum filio prodidit. Accersitus interim Sacerdos, delicta cum ingentibus pœnitentiæ indiciis confessum, haud cunctanter absoluit. Parens multiplici lætitiâ cumulata, quam spem de filij emendatione concipiebat, eam gratulabunda Deiparæ fauori ad- M. CCC. LXXXIII.

M. CCC. LXXXIII. adſcripſit. Inde cum Ioanne Siluamducis profecta, meritas Diuæ laudes cum donis, opulentiâ ſuâ dignis, perſoluit.

CAPVT XCII.

Periculoſa cruris læſio ſedatur.

XII. *Aug.* Aliud Siluaducenſi ſacello decus acceſſit, Philippo Bommelio, perhoneſto viro, ingens capitis periculum, oblatis Deiparæ precibus, euadente. Is per viam cum equo lapſus letalem contraxit noxam. Quippe fulcrum ephippij in læuam eius tibiam, quà popliti ſubditur, impactum, duabus contritis venis, magnam prætereà plagam intulit. Neque cruori exitus patuit, meatibus tam violento lapſu contuſis. Initio neglecta curatio, mox pœnas à Philippo repetiit. Nam paucis pòſt diebus crus primùm inflari, deinde in tumorem virili corpore maiorem increſcere; tum piceâ nigritie deprauari cœptum eſt. Cruciatus humanâ pænè tolerantiâ ſuperior, iam ad mortem, velut præſentem, inclinabat. Quamobrem Bommelius de corpore actum ratus, verſâ ad animum ſollicitudine, peccata confitendo expiat, & cæleſti Viatico inſtructus, ad extremam expirantium luctam ſacri Olei virtute ſe munit. Conuocati vndique Medici, ne curandi quidem vllam viam reſtare pronuntiant. Augebat eorum deſperationem amentia ægri, ex immodici doloris acerbitatē proueniens. Cùm iam totos octo dies aberraret Philippi læſa mens, tum demum vxor

Sil-

Siluaducensium miraculorum memor, quorum numerum indies afflictorum calamitates augerent, Deiparæ fidenter implorat opem. Redde, inquit, misericordiæ mater, marito meo, quæ hominem belluis eximit, rationem. Restituta per te mens, deuouebit se gloriæ tuæ, &, quâ gaudes, beneficentiæ nouæ occasionem præstabit. Tantisper saltem permitte mentis vsum, quoad constet, an quemadmodum MARIAE Philippus, ita Philippo MARIA cordi sit. Hæc elocuta mulier repentino solatio recreata est. Nam protinus marito constitit mens, depulsâ priore insaniâ. Nec defuit precandi ardor, Siluaducensem Fautricem recuperatâ per ipsam mente venerans. Huic igitur vitiosam tibiam supplex commendat, quæ in ignarum præstantius donum contulerat. Nec vanæ fuêre preces: quas vt blandus Philippi excepit sopor, ita soporem tibiæ sanitas subsecuta est. Ille verò, conscenso mox equo, cum amicis quatuor Siluamducis aduectus, postquam vrbem attigit, pedibus ædiculam Deiparæ adiit, ac se voti liberauit. M. CCC. LXXXIII.

CAPVT XCIII.

Filij diu absentis reditum impetrat pater.

VT parentibus liberos ipsâ quodammodò vitâ chariores natura facit; sic velut alteram iis vitam reddi sentias, cùm soboles redditur. Adeò iucundæ rei fructum Henricus Enoutius à Siluaducensi XIV. *Aug.*

M. CCC. LXXXIII. Virgine accepit. Huic filius erat, litterarum ſtudioſus, qui deſerto patre, Elburgo (quod oppidum Tranſiſelaniæ inter Harderuicum & Campos meridionali Batauiæ incumbit freto) in exteras regiones profectus, iam quintum ac dimidium annum aberat. Parentem hinc perpetua orbitatis cura, inde vanum numquam redeuntis filij deſiderium vrebat. Nec vllâ inquirentis diligentiâ quidquam profectum eſt. Igitur, in tam longinquâ ſpe, Henrici animus ad certiorem opem à Deiparâ poſcendam ſe contulit. Nec mora: ſi conſpectu filij frui detur, vouet, ſe iter ſacrum ſuſcepturum, quocumque ipſum tendere Diuæ cordi foret. Atque extemplò euentum tam iuſtæ precationi parem adeptus eſt. Filius velut de cælo lapſus repentè adfuit, diuiniſque iam litteris & Sacerdotio initiatus, paullò pòſt ſolemni ritu primam hoſtiam litauit, tantâ parentis voluptate, quantam ſors tam ſecunda præſtaret. Deinde, cùm non ſanctior eſſet Henrico concepti voti, quàm ſoluendi fides, Deiparam ſupplex obteſtatus eſt, quæ votum ab ipſo probaſſet iter, eius itineris indicaret quoque metam ac locum. Factum eſt. Cæleſtium quippe Regina ei ſe ſpectandam præbuit, ac Siluamducis proficiſcendum eſſe denuntiat. Sic incitatus Henricus, ſumpto veſtitu lineo, præſcriptum iter ſine cunctatione exegit.

CA-

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT XCIV.

Hernia & Paralysis Virgini supplicem deserunt.

PRotectrix salutis nostræ MARIA in abiectissi- xiv. *Aug.* mum quemque beneficia spargit; vt cunctis approbet, se necessitatem, non censum, non decus, non domum eligere. Nullius sordes fastidit, nudam infelicium calamitatem contenta respicere. Neque verò Hugonem Fayum, Auelgenio Flandriæ pago, qui pari ferè spatio Aldenardâ atque Cortraco abest, oriundum, impedito corporis habitu æstimauit; morborum vtique sæuitiâ, non naturâ calamitosum. Sinistrum eius femur pertinax vitium hebetabat, ingrediendi prohibens vsum. Dextrum prætereà inguen grauis hernia incesserat, intestina foras euoluens. Tantum aberat, vt valeret incedere, vt nec pedibus affectos artus sustineret, & non nisi alieno obsequio sublatus mutaret locum. Ergo Bruxellis ab inopiâ subsidij in publicum valetudinarium receptus est, longum calamitatis exemplum futurus. Inde enim post quintum annum (tanta erat morborum pertinacia) Antuerpiam transfertur. Verùm locus ad sanitatem nihil contulit, ægro caussam, quæ Bruxellis expulerat, secum trahente. Antuerpiæ in nosocomio sex acti menses Hugonis inconstantiam prodidêre; Herentaliâ Antuerpiæ, vrbi tam hospitali, prælatâ. Quò vt migrauit, nihilo seciùs hospitem iam suum consecuta infir-

M. CCC. LXXXIII. mitas, tot sedium mutationem in irritum vertit: neque fuga quidquam profuit, secum scilicet fugienti. Cùm itaque iaceret Herentaliæ inter nosocomij detrimenta, non nisi alienâ manu mobilis; commemorari, vt inter miseros, audiit Deiparæ Siluaducensis potestatem: eam medicinam esse ægrorum, id leuamen esse malorum omnium. Inde concepta animo sanitatis cupido, votumque nuncupatum: si valetudinem, ac vires ad quæstum labore pristino faciendum Diua redderet, properaturum ad Siluaducense tot prodigiorum domicilium; ibi beneficij memoriam consecraturum tenui dono. Euestigiò sensit auditas preces. Vitiosis membris meliùs factum est. Exinde hernia & paralysis, ne relictis quidem vestigiis, excessêre. Miraculi fama omnium ore celebrata, Fayum ipsum præconem suum, Siluamducis præcurrit. Præ ceteris Constantinus Ranstius vnà cum Ioannâ coniuge, quam Ioannes III. Brabantiæ Dux ex Ermgarde, Viluordiensi pellice, susceperat, ab ipso Herentaliensium Prætore auditum miraculum Siluaducensibus euulgarunt. Hugo verò nondum elapsâ à recuperatione sanitatis hebdomade, Siluæducis toto triduo rem gestam exposuit, inter plurimos tam longæ miseriæ suæ oculatos testes.

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT XCV.

Cæcis ſeptem viſus, Surdæ puellæ auditus redditur.

SVccedit inſigne humanorum caſuum documentum, in vnam domum vno tempore multiplex illata clades. Arnemij erat Guilielmus Brugghius, armamentario præfectus, quinque liberorum parens. Is (quo caſu, non traditur) cum vxorę ac liberis omnibus, circiter natalem Chriſti diem repentè cæcus factus eſt. Miſerabilis familia, ſeptem cæcos oſtentans, inter pauca miſeriæ exempla memorandos. Auxilia inuicem neque dare neque reddere poterant. Sed & mutuo calamitatis conſpectu, vnico nimirum infelicium ſolatio, carentes, vicinis amiciſque haud pauciores mouebant lacrymas, quàm ipſi profunderent. Alienis igitur oculis regebantur, propinquis nunc cibum, nunc potum, aliàs opem, curando cuiuſque corpori neceſſariam, ferentibus. Tres dies in tam funeſto ſtatu verſatus Guilielmus, cùm corporis oculis nihil cerneret, mentem cæleſti luci aperuit. Nam fiduciæ plenus, quando ad recuperandum cernendi ſenſum vires humanæ deficerent, rogandam eſſe Siluaducenſem Deiparam cenſuit, vt pro ſuâ clementiâ tot ſuis ſuorumque malis medicinam ſufficiat. Tum pro omnium incolumitate vota ſuſcipit æternæ lucis parenti, ſi viſum cæcis redderet, ardentes ſeptem lucernas pollicens. Neque precatio ſucceſſu caruit. Simul Gui- XV. Aug.

M.CCC. LXXXIII. lielmus, simul vxor, liberique, receptâ subitò videndi facultate, liquidum cæli conspectum hausêre; nullum inuenientes consolatrici Virgini gratandi finem. Guilielmo summa votorum religio fuit, Siluaducensi Diuæ promissæ candelæ, septenis capitibus numero pares, repræsentatæ: accepti insuper superiore proximo anno beneficij non vulgaris redintegrata memoria. Narrabat quippe Gertrudem filiam suam bimestri surditate eiusdem Dei Parentis, quam implorasset, ope, liberatam fuisse. Ceterùm felicissimam domum constabat, in quâ nemo oculis vteretur, nisi quos Virgo âperuisset; nemo alium, quàm Virginis beneficiarium, cerneret.

CAPVT XCVI.

Puer aquis suffocatus vitæ restituitur.

XVI. *Aug.* QVò minùs tueri se potest infirma puerorum ætas, eò præsentius illi à Virgine auxilium impenditur. Hedela, Bommelanæ Insulæ pagus, id nobili miraculo testatum didicit. Erat ante cereuisiarij coctoris domum vas ingens aquæ plenum. Huc Petrus, filiolus Petri Hoeuelij, incautus accessit, malusque custos sui. Nam capite deorsum versus inclinato, cùm sustinere reliquum corpus non sufficeret, in cupam procubuit, & confestim aquis suffocatus est. Superuênit eiusdem ferè ætatis puerulus, & spectaculo funesto perterritus, vbi primùm vocem laxauit dolor, strenuè vociferatur, puerum aquis mersum esse. Assidebant

debant fortè, vti assolet, in proximâ domo non pauci homines, ludo pocula interpolantes. quos vbi clamor in plateam exciuit, eminentes in altum extincti pueri pedes vident, exangue & rigidum cadauer offendunt, ac domum ferunt. Inde & igni admouent, dilapsum calorem reuocare nitentes; euentu laborem frustrante. Ceterùm humanis deficientibus auxiliis, diuina succedunt. cùm enim plerosque vicinos rei nouitas, matrisque Hedwigis mœstitia eò traxisset, & iam plus quàm duas horas correptus morte Petrus iaceret, tum matre in genua procumbente piissimus quisque astantium, cum ipsâ, ad spem humani generis MARIAM conuertunt sese, eamque multis precibus orant, ne tantum infortunium remedio præsentius esse patiatur. Ad XXX. fuere huiusce voti participes, atque consortes. Admiranda lætaq; visu res. Qui tamquam ad funus & exequias concurrerant, euestigiò rediuiuum puerum conspexerunt; & post exactum inde mensem ampliùs XL. homines, tanti miraculi assertores, Hedwigim cum filio Petro Siluamducis prosecuti sunt. vinum triticumque, vti votum erat, pro se quisque tulêre. M. CCC. LXXXIII.

CAPVT XCVII.

Periculosus faucium tumor abigitur.

ANtuerpiæ quoque, in dilectâ sibi vrbe, non ambigua charitatis suæ vestigia reliquit benignissima cæli Princeps. Ibi Ioannes Bogardus, honesto vir loco natus, XXIV. Aug.

M. CCC. LXXXIII. natus, pomeridiani somni otium ceperat, sanitati, vt mox à cibo, haud parum infestum. Et sanè immoderatam quietem abrupit non magis periculosum, quàm velox malum. Eas quippe gulæ & gutturis partes, per quas tum cibi potusque, tum spiritus introitus est, tantus tumor inflauit, vt pænè occluderet. liquorem omnem, non modò alimenta spissiora, angustiæ faucium respuebant. Ab difficillimâ respiratione animæ interclusio metuebatur. Interceptus adhæc vocis vsus, animi sensa non sinebat exprimere. Intereà amici tristes accurrunt, pro se quisque saluti Ioannis consulentes. Sed auxilia medentium desperata erant, quòd æger non iam cum morbo, sed cum ipsâ morte luctaretur. Quinque dies ac noctes continuauit hic dolor, etiam Ioanne (quæ desperatio morbo ipso perniciosior est) spem vitæ omnem abdicante. Inter hæc subiit animum, Virginem vno Deo minorem, Siluæducis tot hominum ærumnis mederi, tot pestes depellere: apud hanc semper esse precantibus locum, esse pereuntibus: sibi quoque haud surdam, haud inexorabilem fore. Et quamquam hæc secum reputanti vox deerat, languentem tamen animum in votum erigit, ac tacitis precibus Diuam implorat: daret facultatem videndi Siluamducis, vsurum per viam miserando afflictoque habitu, additurum auri argentique dona, promissa gratulationibus cumulaturum. Eam cogitantis orationem placidè Virgo excepit. Mox enim ægroto meliùs esse, recludi fauces, tumorem diminui,

minui, ac ſpiritum liberè meare cerneres. Vox etiam M. CCC. LXXXIII.
priſtina tam proſpero euentui confeſtim ſuffragata eſt, &, ne mora quidpiam de tanto Virginis beneficio detraheret, poſtridie familiares Bogardum valentem omniqúe noxâ liberum viderunt. Ille verò ſextâ inde hebdomadâ, cùm licuit, ſine calceamento, ſine lineâ interiore tunicâ, vicinis famuloque comitantibus Siluamducis pedes iter ingreſſus eſt. Augebat aſperitatem viæ non modica corporis afflictatio, quod reſte ſetis hirtâ adſtrinxerat. Nec puduit eam ſpeciem ac ſigna, quibus leprâ contacti notantur, præferre. Crepitaculo ligneo ad flagitandam eleëmoſynam, ſcutellâ ad eamdem excipiendam vſus eſt. ea modeſtia Siluamducis petentis fuit. poſtquam eò peruentum eſt, ex auro argentoque Virgini dona portauit, cunctis tam illuſtre miraculum Deiparæ gratulantibus.

CAPVT XCVIII.

Pax diſſidentibus reſtituta.

MARIA publici ſanctiſſimique Deum inter & homines fœderis auctor, nunc etiam priuatæ pacis conciliatrix dici voluit. Groningæ pernicioſa contentio exarſerat, duas factiones in mutuam perniciem alens. Nec ſuſtineri ira potuit, quin ad manus ac tela veniretur. Ergo dum dimicantes certamina miſcent atrociùs, pars altera duos è ſuis amiſit. Inter victores eminere viſus Meuſeboſchus, in ſe præcipuè hoſtium XXV. *Aug.*

Cc iras

M CCC. LXXXIII. iras accendit. Quare nec is è pugnâ illæsus excessit, homo cetera innocens, & quietis quàm discordiæ studiosior. Verùm in optimum quemque ferè alienæ peruersitatis pœna recidit. Intenti in hunc vnum aduersa pars nihil omittunt, quo ipsi extremam aliquam cladem parent. Hunc patriâ exigere, hunc fortunis euertere consilium erat. In perpetuo discrimine Meuseboschi caput resque omnis domi ac foris vertebantur. Cùm aduersus tantam tamque pertinacem aduersariorum vim, vnus, qui ferè petebatur, caussam suam armare non posset, Ida Meuseboschi vxor, vt in re trepidâ, ad vltimum auxilium decurrit, & cælestem tutelam, à Siluaducensi patronâ inclinantibus mariti rebus exposcit. Et pacifica Virgo, quæ præcipuâ ope pacis cultores tuetur, longè aliter, quàm hostes molirentur, vertit omnia. Emissum enim à muliere votum, breuî consecuta pax; nec opinantium inimicorum animos in amicitiam, vtrisque salutarem, contraxit. Meuseboschus cum suis metu solutus, atque tranquilla omnia nactus est. Neque Ida segnis fuit ad gratias Siluæducis cum vicinorum turbâ persoluendas.

CAPVT XCIX.

Lepra depellitur.

XXV. *Aug.* IDem dies alterius miraculi interuentu celebratus est, in eâdem quoque vrbe Groningâ patrati. Ciuis ibi fuit Lubbertus, Magni cognomine, cuius corpus teter-

teterrimo morbo inquinatum, in tantum tumorem exaggeratum fuit, vt vestem nullam admitteret. Ne pedibus quidem aut tibiis consueta tegumenta indui poterant. Ea lues in lepram erupit, quæ quòd nullis cedat remediis, de eius ferè curatione vulgus Diuos implorat. Vehementer tota cutis rodebatur, alteque depasta, sic vndique obsidebatur, vt ne punctum quidem eâ labe intactum haberet. Tentata medentium remedia, quibusdam salutaria, huic perniciosa esse videbantur. Iam tres ac viginti hebdomadas eâ labe Lubbertus absumebatur, cùm vxor eius Gertrudis, ad Diuam Siluaducensem versa, eius potestatem desiderio suo parem inuenit. Vouet vtique profectionem ad sacellum, tot miraculis clarum, si qua mali eius quies veniat; ac statim, quod orauerat, exorauit. Neque diu tardauit euentus, tumore mox residente, & squamulis circumquaque delapsis. Postridie consueta quoque vestis resumpta est, & ingrediendi facultas reddita. Quæ res mirum quantum Virgini & amoris & claritatis, tum apud eos, in quos collata benignitas fuit, tum apud ceteros, quò eius beneficentiæ fama peruenit, conciliarit: Gertrude præsertim cum vicinis, & Siluæducis, & itinere toto miraculum extollente.

M. CCC. LXXXXIII.

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT C.

Natator, submersus aquis, ad vitam rediit.

XXVII. *Aug.* NEque Batauis per idem tempus laudandæ Virginis facultas ac materia defuit. Delphi vrbs spectauit miraculum. Nicolaus Bonifacius, Iacobi filius, adolescens, exeunte vere nataturus depositâ veste in aquas descendit. Fossa erat quâ vrbs cingitur, altiorem reliquo fundo scrobem occultans.. Eam cereuisiarij coctores antè effoderant, quàm in fossam aquæ immissæ essent. Huc improuisò delatus Nicolaus, illicò præceps in profundum corruit vndis haustus. Ibi plus quàm duas horas mortuus latuit, capite in fundum prono. Ad casum adeò tristem multi confluunt, seu luctum, seu auxilium conferentes. Sed, cùm fundum reti euerrerent, nil repertum est; quod Nicolaum scrobs profundior occuleret. Ita diu nequidquam laboratum, donec vrinator in scrobem demisit sese, & prehenso adolescentis pede, qui altior capite ferebatur, cadauer extraxit. Quod vbi ad ripam delatum est, vitalis facultatis omnis expers, Stephana mater, renouato ad extincti propiorem conspectum dolore, excepit. Et luctus pietatem accendit. Quippe consolatricem tristium Virginem Siluaducensem, cùm alia non affulgerent præsidia, inuocat mœstissima parens, & si precibus aspiret, voto adeundæ eius ædiculæ se obstringit. Cuius voti vt repentinus ita lætissimus fructus

fructus extitit. Reuixit namque, ſtupentibus cunctis, Nicolaus, poſtquam non duas tantùm horas ſub aquis, ſed etiam tertiam in terrâ deſtitutus omni vitâ fuiſſet. Gratulationum finis nullus fuit: vota Siluæducis repræſentata. M. CCC. LXXXIII.

CAPVT CI.

Mulier viuam ſobolem à Deiparâ obtinet.

INſana mortis auaritia quas non ederet ſtrages, niſi validiore aliquâ manu compeſceretur? Non ſufficit illi fatale ſuum in homines omnes imperium, quod etiam in paruulos nondum natos extendit. Ita Gerardo Heyo & Mechtildi coniugibus, duobus continentibus annis totidem liberos, nondum obortâ huius vitæ luce, ſubduxit. Perpetuus matri dolor erat, quod vitæ genuiſſet, morti cedere; & parere, quod ſepeliret. Atque anxij parentes erant, non tam de infantium corporibus, quàm de animis, cæleſtis lauacri lymphâ deſtitutis. Agitata hiſce curis mulier, per ſomnum imminentis ſolatij haudquaquam vanum accepit indicium. Iam firmus ſopor quieſcentem tenebat, cùm illi Deipara Virgo viſa eſt, placidum vultum aduertens; &, Quin tu, inquit, mœrore pulſo lætitiam aduocas, cuius me auſpicem vides? Metire inpoſterum ſpem viuæ ſobolis non mortis impetu, ſed meâ potentiâ. Cedunt morti omnia; ſed ipſa mors mihi. Equidem tibi filium, filio tuo vitam præſtabo. XXIX. Aug.

 Hunc,

M. CCC. LXXXIII. Hunc vbi Siluæducis consecraueris mihi, ceræ pondo redimito. His dictis expergefacta Mechtildis, atque inexpectato perfusa gaudio, nihil antiquius habuit, quàm vt eam vigilans inuocaret, quæ dormienti tantum fauoris obtulerat. Ergo votum ex præscripto concipit, de optato euentu nihil ambigens. Nec diu morata spes conceptam prolem indicauit. Felici inde partu virilis edita stirps Guilielmi nomen accepit. Quem deinceps quartum post mensem, Gasperdâ, è Vianensi ditione, Siluamducis deportarunt; cunctisque ibi ritè perpetratis quæ Diua iusserat, vicinorum quoque testimonio miraculi fidem probarunt.

CAPVT CII.

Tinctori in periculo perdendæ rei familiaris subuentum.

XXX. *Aug.* NOn modò vitam mortalium, sed etiam fortunas sibi cordi esse, sub idem tempus Diua ostendit. Geldria vrbs est prouinciæ suæ cognominis, in quâ iacturam rei domesticæ à Gerardo Sandero infectore implorata Deipara auertit. Ille cupam glasto impleuerat, vt cæruleo colore pannos imbueret. Sed, incertum quâ noxâ herbæ vim hebetante, conatus omnis incassum cecidit: quippe materia tincturam diffluentem respuebat. Gerardus tamen, ne quid intentatum relinqueret, cùm summa quæque spargendis coloribus parùm idonea essent, quæ in imo vasis fundo subsederant, explorauit. Sed nec inde tinctum elicere

cere potuit. Ita simul industriam, simul industriæ materiam exhauserat aduersa sors. Infortunium tamen quod multis desperationem iniiceret, id in Sanderi animo pietatem acuit. Nam illicò in genua prouolutus, cælestium opum largitricem Virginem inuocat, profectionem in veste asperâ suscipiendam, munusque votiuum addicit. Tum denuò curâ ad experiendum tincturam versâ, sinistri nihil industriæ suæ obstare sensit. Colores etiam pristinis elegantiores inficiendis lanis dati sunt, & incrementa inter vtendum capere visi, quàm plurimis, præter optatum, rebus suffecerunt. Gerardus velut ad rerum suarum, de quâ deiectus fuerat, possessionem reductus, septimo inde die molestum sibi iter indicit; & Siluamducis ingressus, cupam ceream glasto plenam ex arâ Diuæ suspendit. M. CCC. LXXXIII.

CAPVT CIII.

Infans igne vehementer vsta sanatur.

VT parùm tuta est humana custodia, si diuina non adsit; sic expeditum est vsque cæleste subsidium, humano fallente. Vtrumque Campis sensere Zibertus Ioannes cum vxore, quorum curæ aliena soboles ad nutriendum data erat. Eam sic in oculis ferebat mater, quæ nutrici commiserat, vt quotidianâ visitatione, atque aspectu, educantium diligentiam ac sollicitudinem vrgeret. Fortè ita incidit, vt altrix calefactam puellam (Margarita Bruna vocabatur) in sinum XXX. Aug.

M. CCC. LXXXIII. num attolleret, deinde fasciolis circumplicatura. Sed obrepente somno capta, remisit curam, cùm interim ex eius sinu illa in rogum defluxit. Experrecta tardè nutrix, alumnam igni admotam, totumque eius latus fœdè tostum inuenit. Incredibili affecta dolore mulier, in lamenta atque eiulatus mox erumpit, consortio mœroris in maritum diuiso. Ille humanâ spe omni destitutus, vt miseris rebus assolet, ad opem diuinam flagitandam versus, Deiparam Siluaducensem impensè obsecrat, misereatur sui, misereatur infantis, in domo suâ tam malè seruatæ; vxoris culpam commutet in decus suum. Satis constat, exauditas fuisse supplicis preces. Margarita postridie integra, & velut flammis intacta, extitit. Nec vno beneficio contenta Deipara fuit. Nam cùm mater quot diebus aspectu se charissimi pignoris recreare consueuisset, cælesti prouidentiâ effectum est, vt vnâ illâ luce, quæ filiolæ propè fatalis acciderat, diuinitus aliò versa, non adesset. Ita parens luctu, nutrix pudore liberata est. Zibertus tanti beneficij æstimationem solutis maturè votis declarauit.

CAPVT CIV.

Senex herniosus curatur.

III. Sept. NEc desperandum etiam diutinos morbos submoueri posse, vbi remedium à Deiparâ decretum senserint. Quippe Nicolaus Gerardus, ætate prouectâ

ueĉtâ ſenex, morbo iuxtà vetere ac moleſto exemptus M. ccc.
eſt, Virgine ſuccurrente. Wermondæ habitabat, haud LXXXIII.
procul Lugduno Batauorum, xx. annos difficili herniâ preſſus. In dexterâ inguinis ſede prominebat ramex, ingentem cruciatum pariens tumori parem. Neque multum leuamenti erat à retinaculo, quo vtcumque coërcebat malum in abdominis capacitatem repulſum. Ab eâ igitur curationem popoſcit, quæ nil ſolet negare ſupplicibus. Et propitiata Siluaducenſis Diua, laboranti non defuit. Precandi finis ſanitatis initium fuit: non Medici, non herbæ, aliáve, prompta in auxilium morborum, adhibita ſunt. Curatio, vt ſubita, ita tota Virginis fuit. Nicolaus cum vicinis haud ſegniter Siluaducenſe iter emenſus, vinculum, quo corpus pridem aſtrinxerat, in ſacello MARIAE Fautricis reliquit.

CAPVT CV.

Nobilis mulier inueterato dolore leuatur: Comitiali morbo puer expeditur.

PÆnè par in diſpari morbo miſeria, ope Virginis VI. Sept.
leuata, Hornæ, Hollandiæ vrbi, miraculo fuit. Ibi Agnes nobili loco nata, Henrici Vilroxi vxor, peruicaci morbo annos xv. obſeſſa traduxit. Intimas corporis partes infeſtans occultum vitium tenebat, ſucciſis ita viribus, vt ingrediendi facultas torperet. Medicorum induſtriam fallebat ignota mali indoles, in quâ nihil adhuc oſtendiſſe vſum fatebantur. Sic ægra

M. CCC. LXXXIII. aut dissentaneam, aut nullam prorsus curationem accipiebat: Dei Matre, cui nihil negat Filius, eam suæ gloriæ reseruante. Id animo in vitæ curam acriter intento æstimans Agnes, non antè precibus ad Deiparam Siluaducensem fundendis abstitit, quàm peruicit, vt non modò certam spem, sed initium quoque sanitatis sentiret. Atque mox ad spem præclarè respondit euentus; quando tam longâ annorum xv. debilitate, ac tormento fugato, incessus quoq; sano iam corpori adfuit. Quę comperta res & liberos Agnetis, & vicinos, inusitatâ lætitiâ compleuit, miraculi euentu tam inopinato exultantes. Itaque Agneti deinde consociati, illâ Siluęducis promissa cum fide reddente, ipsi gratulationibus publicis dona auxerunt. Sed nec illud quidem ad declarandam priorum in Virginem Matrem fiduciam prætermittendum est. Gerardo Gisberto Buyckenbenio, haud procul Amsterodamo vici cuiusdam incolę, filius erat, comitiali morbo (quam D. Cornelij plagam appellant) vehemēter implicitus. Theodoro puero nomen fuit: quem cùm parens tam graui malo pressum aspicere longiùs non sustineret, Siluaducensis Diuæ in mentem venit. Huic itaque sub annui ieiunij tempora supplex vouet, si morbus charissimam sobolem desereret, & profectionem Siluamducis initurum, & munera Diuæ sacraturum. Confestim salus votum secuta, parentem vnà cum filio lætabundos Siluamducis, non minùs ad edendum miraculi documentum, quàm ad pietatis debitum repræsentandum exciuit.

VI. Sept.

CA-

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT CVI.

Incendium coërcetur: Paralyticus & Puerpera adiuuantur.

HArlingæ quoque, quæ vrbs est Frisiæ, pro consuetudine institutoque suo, in propulsandis mortalium calamitatibus euigilauit Deipara, atque in varios homines magna fructuosaque beneficia contulit. Ita nuntiarunt tres viri, Folcardus, Delenus, Gualterus, totidemque mulieres, gentis vocabulis Baua, Ata, Reynouta nuncupatæ. Ab his relatum, exarsisse Harlingæ incendium tam suo impetu sæuum, quàm vento propagante damnosum. Id cùm satis diu tenuisset, lateque iam vagaretur, ad supradictorum hominum tecta, vi flatus, eò cuncta ferentis, tendebat. Ad tristem cladis, vt videbatur tam ineuitabilis conspectum, cum ingenti terrore ac tumultu, concursus vicinorum est factus; comploratio eorum flebilesque voces iactatæ. Iam trepidi, quàm cuique fortunam procella statueret, exspectant; nec quisquam satis certum habet, quid aut timeat, aut speret. Propinquiorem tamen spe metum faciebat cæca proruentium porrò turbinum vis. Sollicitis sub tanti discriminis casum (quippe iam rectà præceps ventus in ipsorum tecta proximas flammas vrgebat) opportuna in Diuam Siluaducensem succurrit pietas. Vnà omnes in genua demittunt sese, Diuamque orant & obtestantur, vt fortunas domosque suas aduersus imminentem *VII. Sept.*

M. CCC. LXXXIII. ſtragem munitas velit. Et plus ventis valuiſſe preces, euentus docuit. Flammæ ipſæ, quamquam impellentibus ventis, non reſtitêre ſolùm, verùm etiam contrarium iis curſum explicarunt. Inde velut in ſemet eliſæ atque euaneſcentes, nulli vltrà ædificio, nulli homini damno fuêre. Ea res vti præſentibus ſtuporem, ita celebre iuxtà atque amabile Siluaducenſis MARIAE nomen fecit: præſertim cùm eâdem opitulante Virgine ibidem Folcardus, quem diximus, paralyſi totum corpus eneruante, Reynouta difficillimo partu, expediti ſint. Vniuerſi autem ſecundo & vigeſimo poſt incendium compreſſum die, Siluæducis Deiparæ magnis donis & promiſſo cultu ſatisfecerunt.

CAPVT CVII.

Sacerdos claudus incedendi facultatem obtinet: pueri aliquot comitiali morbo & herniâ leuantur.

IX. *Sept.* NE perpetuis fruamur bonis, facit naturæ conditio: ne diuturnis cruciemur malis, prouidet inexhauſta aduerſum miſeros Dei Parentis beneficentia; quam hiſce temporibus reddita Sacerdoti ſanitas, apud Friſios haud paullò illuſtriorem effecit. Nàm Staueræ (id oppido nomen) Nicolaus Hermanni, domo Amſterodamenſis, ſacræ cuidam ædi præerat: in patriâ quoque ſuâ Æditui munere iis temporibus functus, quibus clariſſima deinceps tot prodigiis Euchariſtia, Amſterodami, in celeberrimo iam tum Bataui-

uiæ

uiæ emporio, effulgere primùm cœpit. Hic totos vndeuiginti annos optimum à virtute nomen consecutus, administrationem sibi creditam præclarè tuebatur; cùm fortè alicunde in terram desiliens, sic dexterum offendit pedem, vt dehiscentia ossa, suisque expulsa sedibus, neque in eas redigi potuerint, & nullum eius partis reliquerint vsum. Hinc quòd gressum vltrà moliri non sustineret, cùm fulcris tantummodò niteretur, ad extremum Ecclesiæ quoque præfecturam abdicare compulsus est; permagno vtique dolore & incommodo suo. Neque molestior, quàm pertinacior ea calamitas fuit; quæ inter fulcrorum adminicula ad XVII. annos ægrè semet agitantem protraxit. Per id tempus non pauci viatores Siluaducis reuersi, vt qui Diuam inibi venerati essent, fortè in epulum incidunt, ad quod Nicolaus, iuxtaque vicini, conuenerant. Gratus erat reditus amicorum. Itaque familiariùs inuicem amplexi consedêre. Inde (vt absentibus curis) cupido incessit animis longinqua seu narrandi, seu audiendi. Nicolaus inprimis, sanitatis auidus, percontatur singulos, quæ noscenda videbantur: quæ Siluaducensis fani religio, qui Diuæ cultus, quanta miraculorum vis, ac certitudo. Neque cunctanter illi referunt quædam audita, alia comperta. Immensam ab ipsis visam donorum copiam, effigies miraculorum indices, tabulasque votiuas: inter pretiosissimas rerum eminere monilia, ingentis opulentiæ plena, quæ locupletes homines, miraculorum aut famam,

M. CCC. LXXXIII.

M. CCC. LXXXIII. aut ſpem ſecuti, dedicaſſent. Ceterùm redundare in omnes Diuæ beneficia, & quaſcumque tandem mortalium miſerias cedere miſericordiæ cæleſti. Enimuerò pia curioſitas Nicolao ſaluti fuit, atque hoſpitum affirmatio haud falſam eius animo ſpem ſanitatis iniecit. Ergo ſermone à conuiuis ad MARIAM repentè conuerſo; Quouſque, inquit, ô ſuauiſſima Siluaducenſium Præſes, me vnum beneficentiæ communis exſortem eſſe patière? quid? quódve tempus exſpectas? & non quamprimum me hac moleſtiâ liberas? Fac, obſecro, vt pedibus aliquando vti liceat: properabo ad aram tuam, ex eaque ſuſpendam hæc fulcra, teſtes non tam ſalutis meæ, quàm auxilij tui. Vixdum votum finierat, cùm ſenſit pedem, vbi iniuria hæſerat, abſterſo omni malo, ſibi reddi. Nec diutiùs quàm ſanabatur moratus, lætiſſimo ſaltu recuperatæ ſanitatis fidem fecit. Simul clamor atque gratulatio amicorum oritur, magnitudinem miraculi tantâ celeritate mixtam ſtupentium. Ipſe verò poſtquam ſeſe ex tanto gaudio collegit, primùm omnium ſublatis in humeros fulcris iucundum iter Siluamducis, Diuæ gratulabundus, inſtituit. Vicini complures, vt plus pietati publicæ, quàm priuatæ beneuolentiæ darent, quemadmodum in epulo conuiuæ, ita in viâ comites eſſe voluêre. Vt igitur Siluamducis ouantes peruenerunt, Nicolaus ipſe, iam dux agminis, poſt honores opitulatrici Virgini habitos, ſuſtentacula lignea, quibus olim proueheretur, propter aram affixit,

fixit, donisque pro copiâ suâ oblatis, eò, vnde aduenerat, reuersus est. Iisdem ferè diebus Ioannem filium Hermannus Bloemartius ex agro Buræ-malseno; itemque è Lederbroecka, Erkeliæ ditionis pago, Gouburgam filiam Ioannes Sweymius cum vxore adducunt. vtrumque comitiali morbo exemerat votum Diuæ nuncupatum. Pro singulorum incolumitate tantum vini triticique à parentibus lætitiâ perfusis oblatum est; quantum cuiusque pietati ac voto responderet. Alium quoque puerum non dissimilis fiduciæ votum ad sanitatem perduxit. Is fuit Ioannes, Arnoldo atque Hedwigi natus in Erpensi pago, cuius corpus herniâ vitiosum, imploratâ Virginis ope, repentè abactis varicibus persanatum fuit.

M. CCC. LXXXIII. VIII. Sept.

IX. Sept.

X. Sept.

CAPVT CVIII.

Incendium fulmine excitatum compescitur.

ELementorum æquè & morborum constat Deiparam fuisse victricem. Oetmarsia oppidum est in eâ Twentiæ regione, quæ Oldenzaliam ferè respicit. Hîc octauâ ante D. Michaëlis Ferias nocte, sopitis vbique mortalibus, domo fulmine ictâ, incendium grassari cœpit. In primis Swaueldam Comannam tonitru è somno exciuit, non sine igne ac fragore proxima quæque infestans. Ea vt relucentem vndique flammam, quâ vicina iam domus consumebatur, adspexit, trepidatione primùm, quantâ necesse erat, in noctur-

X. Sept.

M. CCC. LXXXIII. nocturno, quod se latè circumfuderat, incendio percellitur; tum non diu morata, strato eripit sese, & quantum nox prouidentiæ adimeret, tantum explet religione ac metu. Procumbit humi supplex, &, Ne siueris, inquit, Siluaducensis Mater, vt sic momento ruat fortuna mea. Id certè ne fiat, in tuâ potestate est. Cui elementorum Dominus subditus fuit, elementa subdantur. Hæc elocuta, velut repulsas ab domo suâ flammas retrò agi videt, moxque omnis ab intactâ domo noxa abfuit. Eam rem à Swaueldâ viciniśque vulgatam, Siluaducenses litteris consignarunt.

CAPVT CIX.

Infans à morte ad vitam, à vitæ periculo ad sanitatem reuocatur.

XII. Sept. PEr idem tempus egregium quà beneficentiæ maternæ, quà moderatæ seueritatis documentum Deipara edidit. Wellæ infantem mortuum pepererat Gudula Thomæ Aelstij coniux. Cùm ex eo ad duas iam horas ingens mœror matrem feminasque præsentes tenuisset, atque tamdiu exanimatus puer nullam vitæ spem reliquam faceret, opportunum à Virgine præsidium adfuit. Nam mater Siluaducensem Diuam sibi solatio fore ducens, eius enixè implorat opem. Conclamant deinde pariter, quæ aderant vicinæ, exspectandum ab hac Matre beneficium, quæ nullius vmquam vota fefellisset. Profectionē sacram vnà pro-

promittunt, si optatis potiantur. His precibus Diuam veneratæ, facilè eius beneuolentiam sibi conciliant. Reuiuiscit è vestigio puer, atque altiorem, quàm pro ætate, eiulatum ciens, manifestam miraculi fidem facit. Infans salutifero Baptismi fonte ablutus, Euerardi nomen tulit. Sed Gudula non perinde prompta ad soluendum promissa, atque ad postulandum sperata velox fuerat, tam recentis lætitiæ penè iacturam incurrit. Quippe infans XII. natus hebdomadas repentino ictus malo, ad certum interitum properare visus est. Obsidebat collum tumor, languentem spiritum ægrè transmittens. Os fœdè hians, oculique iam lucis, vt videbatur, expertes, præsentem mortem nuntiabant. Adfluentibus ad hoc spectaculum propinquis, etiam sacer cereus, qui migrantibus ad sempiternam lucem porrigitur, Euerardo admotus erat. Tum amici neglectæ, aut certè dilatæ pietatis Gudulam admonent. Non debuisse differri gratias Diuæ debitas: hunc morbum maternæ tarditatis pœnam esse, quam modò innoxia soboles capite suo fortasse luitura sit. Quibus monitis, & magis etiam instante filij morte territa mulier, iteratis precibus Diuam placat, atque agnitâ moræ culpâ, maturandæ pietatis votum adiicit. Eâ modestiâ vt Virgo ipsi ignosceret obtinuit. Puer mox vegetatus, vt in complexu matris erat, eius vbera pressare, & largiter haurire occepit. Ita summa ex metu lætitia facta; & ne de- M. CCC. LXXXIII.

Ee nuò

M. CCC. LXXXIII. nuò cunctatio in luctum transiret, tertiâ inde hebdomade, Gudula cum vicinis Siluamducis ad exequenda quæ destinauerat, discessit.

CAPVT CX.

Auceps in periculoso casu mirè vitam seruat.

XIII. *Sept.* NIhil æquè MARIAE ingenio consentaneum, ac lapsis opitulari. Plurimos animis, non paucos etiam corporibus in exitium ruentes, erexit. Neminem certè ad se preces, ad se manus tendentem præteriit. Diesthemij inter principes viros celebrata res, huic Virginis studio adstruxit fidem. Peruenerat eò Leodiensis Episcopus, cui vt epulas lautiùs Dynasta vrbis instrueret, Godardum Strickium, aucupem suum, in circumiacentibus agris perdices excipere iubet. Abeunti ad cælites MARIAE Virgini dies sacer erat; & fortè sanctimoniam diei aucupio violari, Diuæ cordi non fuit. Godardus imperata facturus, Oosterloam, haud procul Diesthemio, eques peruenerat, angustum, sed editum inter profundas vtrimque lacunas, callem tenens. Ibi cespitantis error equi in domini perniciem vertit. Postici pedes in abruptum defluxerant, anterioribus adhuc tuto in loco firmatis. Sed Godardus cùm neque progredi liceret, neque subsistere, vnde salus speranda fuerat, inde exitium retulit. Contracto quippe fræno, erigentem sese equum in potestate non habuit, atque vnà cum eo

per

per prærupta actus est præceps. In foueâ resupinatum etiam equus ipse supinus totâ corporis mole oppressit. Ac primò quidem in quamlibet partem sese vertere ac subducere nequidquam conatus est; donec metu non minùs quàm labore defatigatum pænè extrema vitæ desperatio incessit. Plus certè quàm x. horas equo suo sic tectus iacuit. Ceterùm efficacior in periculis pietas, quàm humana spes, remedium tantæ necessitatis inuenit. Nam cùm pauidus nullam opem, propè mortem imminentem videret, versare animo cœpit, Siluaducensem Diuam vltimum periclitantibus præsidium esse. Eâ cogitatione defixus vocem lacrymis addit, supplicesque ad Diuam preces subiicit, & quinque ceræ libras, pro se vnam, pro equo reliquas daturum constituit. Nec frustrà id votum fuit. Equus mox erigens se, atque connixus, altiorem locum saltu occupat, pedibusque tranquillus insistit, velut imperantis nutum exspectans. Neque concipere mente Strickius poterat, quâ vi, quóve modo iumenti pondere leuatus esset. Sed & ipse demum ex humidâ & lutulentâ fossâ emersit; licet artus frigore stupentes ægrè moliens. Ita à ministris, quos ad eum quæritandum Dynasta, de conuiuio auibus instruendo sollicitus, miserat, repertus est. Ab his sublatus properè domum defertur. Ibi postquam calor rigentia membra commouit, ac spiritus, quem lassitudo ac gelu suppresserant, sufficere voci potuit, mirantibus Episcopo Leodiensi, Dominoque suo, ac ceteræ nobilitati, M. CCC. LXXXIII.

M. CCC. LXXXIII. tum casum suum, tum felicem casus exitum enarrauit. Gratulationes atque lætitia pænè miraculi magnitudini pares fuerunt. conuiuium sine perdicibus iucundè actum. Nec multis inde diebus Strickius planè sospes, ac voti satis memor, promissi fidem Siluæducis impleuit.

CAPVT CXI.

Puer inter ludendum occisus reuiuiscit.

XVI. Sept. ETiam ludentes morimur, atque irritamenta lætitiæ non raró abrumpit improuisus dolor. Misera profectò sors, quæ ne ludendi quidem securitatem admittit, nec vllas ad liquidum blanditias perducit. Silentio sanè tegendum non est, quod in hoc genere olim vidit Bruga, inclyta in paucis Flandriæ vrbs, quæ vniuersis quondam Europæ nationibus placuit, ad firmandas ibi frequentando mercatui sedes. Nunc publica tot gentium domicilia, vrbisque splendor, & incolarum ad quemuis cultum habilis indoles, pristini floris memoriam conseruant. Aduenarum haudquaquam infimi fuere Dani, cæterique ad Septemtrionem & Balticum fretum incolentes. Ex his nonnulli in compita progressi sunt, gentis more, lætitiam agitantes. Qui positum in medio vas fictile, velatis tantisper oculis, clauâ feriret, hic præmio dignus habebatur. Id ludicrum fuisse ferunt. Non deerant, vt in re tali, frequentes pueri, iucundo ipsis spectaculo gaudentes.

dentes. Hos inter Adrianus Hoeckius fuit, quinquennis puer, in lusum quàm periculum suum intentior. M. CCC. LXXXIII. In hunc insciens iuuenis, libratum vi summâ ictum, frangendæ ollæ destinatum, impegit, puerumque exanimatum in terram porrexit. Perfracta erat calua tam alto foramine, vt ouo recipiendo pateret. Cerebrum introrsum in fauces compulsum, aut foras sparsum iacebat; vulnere vtique non minùs fœdo quàm letali. Partes capitis, maximè vulneri propinquæ, alieno mox colore infectæ, ac nigrescentes, emanans confertim sanguis, sudores frigidi, aliique id genus aderant mortis nuntij. Sic lusus in luctum vertit. Defixerat pauor cum miseratione adstantes, quando parentes accurrunt, interemptam sobolem deplorantes. Hîc renouata omnium mœstitia, ac deinceps tres ampliùs horas (quamdiu mortuus puer iacuit) continuata est, nullo solatium afferente. Tum piis inter se vocibus (cùm lamentis nihil proficeretur) concitati Nicolaus atque Elisabetha coniuges, ad B. Virginem vltimam spem conferunt, eique concessum in mortem imperium gratulantes, Adriani vitam ac salutem enixè commendant. Iter, vinum, triticum vota Deiparæ, placuêre; quæ continuò puerum, tamdiu extinctum, vitæ restituit, ac funestum ludum triumpho mutauit.

M.CCC.
LXXXIII.

CAPVT CXII.

Puella è tabulato delapsa vitæ restituitur.

XVI.*Sept.* SI sunt liberi parentum amor ac deliciæ, velut naturæ ac vitæ, non solùm fortunarum heredes; quo pacto non sit omnibus parentibus charissima MARIA, cuius manu tot mortes à pueris depulsæ, tot parentibus gaudia impertita sunt? Huiusce tam frequentis tamque propitij fauoris indicium quoque Vianæ à Deiparâ editum, in ore ac sermone omnium fuit. Gertrudis puella tabulatum ascenderat, altitudine satis eminens. Hinc delapsa casu infelici, inter suorum manus & lacrymas plus horis quatuor exanimis fuit, sensu & colore pristino cum vitâ ereptis. Tum verò nullum miseris asylum præsentius esse ope MARIAE, apparuit. Ioannes enim Gerardus ac Margarita, puellæ mortuæ parentes, huc desideria, huc vota sua contulêre, nihil de obtinendâ filiæ vitâ ambigentes. Ac diuinæ quidem potentiæ consors MARIA Mater, nequaquam segnis in impertiendâ supplicantibus clementiâ extitit. Pariter Gertrudi reddita vita, ac parentibus lætitia fuit. Atque illi iter Siluamducis lætis animis emensi, post quartam ab accepto beneficio hebdomadam plausu faustisque gratulationibus cuncta impleuêre.

CA-

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT CXIII.

Mulier glandulis liberatur.

NOn modò patrocinio tutari miserorum vitam, XXII. Sept.
sed etiam manibus suis infirmitates eorum medicari Deipara visa est. Steenbergana femina (Agatham vocabant, Henrici Ryckij vxorem) cum vicinis non paucis id affirmauit. Æstas proxima eam in difficilem morbum coniecerat, sinistro crure glandulis pertinacibus resperso. Cùm alia remedia lenta viderentur, Siluaducensis Deiparæ memoriam cum fide colere instituit, certissimum in eius maiestate præsidium suis rebus (quas morbus quæstui aduersus deteretet) repositum existimans. Vt votum Virgini fecit, confestim sopore correpta est, perinde salubri ac repentino. Nam cælestis ei lux affulsit, eodem habitu ac formâ, quâ in Siluaducensi sacello visitur, Deiparam repræsentans. Protinus MARIAM videt appropinquantem primò sibi, dein glandulas mulcentem, atque abstergentem salutiferâ manu. Cuius manus attactus omni lanâ omniqùe bombycinâ telâ ei mitior blandiorque fuisse visus est. Secundùm hoc visum, excusso somno, haud modicam dolorum leuationem sensit Agatha, & glandulas sensim omnes, quibus tibia paullò antè scatebat, dissipari. Curatio sanè, vt à tali manu, non perfectior quàm expeditior fuit. Agatham verò non pauci de vicinis Siluamducis vsque comitati, solutis ibi votis, miraculum enuntiarunt.

CA-

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT CXIV.

Maritus primùm ſibi, deinde vxori ſanitatem impetrat.

NVllis terminis circumſcripta MARIAE beneficentia, quantumcumque ipſam extendentibus obſequitur. Sæpè vni dumtaxat alicui fauorem impertit; quòd non vnà plures qui iuuentur, occurrant. Nunc vni familiæ duplex beneficium gaudet tribuere, ne coniuges Ioannem Falconem & Chriſtinam, quos matrimonij nexus vitæ ſocietate iungebat, ſanitatis diſpar ſtatus diſtingueret. Maioris ieiunij tempore maritus prior in morbum delapſus eſt; cuius vt occulta cauſſa, ita parùm explicita remedia fuêre. Atrocitas mali, mentis vſum, non modò artuum vires infregerat; doloris tam inuſitati vehementiâ etiam doloris ſenſum adimente. Verùm vbi animus ægri ad meliora redactus, aliquid interualli nactus eſt, non vana ei ſpes oblata eſt auertendæ noxæ. Siluaducenſis Virginis memor, æſtimabat, quamuis conditio morbi homines falleret, Deiparæ tamen potentiam omni corporis vitio ſuperiorem eſſe. Ab hac igitur tam aduerſæ valetudinis auxilia, interpoſito voto, expoſcit, & obtinet. Tum continuò ſtomachus velut pharmaci alicuius acrimoniâ exſtimulatus, vomitiones crebras ciere, & multa ſibi infenſa, viſu & colore fœda egerere cœpit. Neque verò aut dati aut epoti improuiſò veneni ſuſpicio abfuit. Paſchalibus inde proximis

ad

ad vxorem morbus æquè infestus transiisse visus est. M. ccc. LXXXIII.
Flauebat cutis tota bilioso humore quoquouersùm perfusa, ceræ quàm carni similior. Icterum crederes, ex alto corpore propellentem foras, atque in summum, quidquid intima labes infecerat. Pronuntiabant Medici, multa adesse, vnde mortis indicium, non valetudinis solatium.caperetur. Ergo & sacra moribundis præberi solita, extremam præsertim Vnctionem, adhiberi placuit. Verùm Ioannes tam recentis in ipsum collati beneficij haudquaquam oblitus, eódem spes suas retulit, vnde paullò antè non paruum pietatis fructum ceperat. Vtile enimuerò consilium, votiuo potiùs dono Virginis opem quàm incerta medentium remedia auro redimere. Promittit igitur Siluaducensi MARIAE, è vino, tritico, auroque & argento sacrum munus. Propitiatæ mox Virginis potentia singularis apparuit. Valetudo Christinæ reddita, vires magnis incrementis reparatæ sunt. Atque vterque quidem tantis è periculis diuinitus erepti, conscios miraculorum vicinos ducentes, votiuum iter pari animi ardore atque lætitiâ absoluêre. Ita Siluæducis quæ diximus doni nomine relinquentes, occidentalem Hercam (ita locus dictus est) reuersi sunt.

M CCC. LXXXIII.

CAPVT CXV.

Captiui duo in libertatem asseruntur.

XXII. *Sept.* QVæ publicæ captiuitati eximit humanum genus, mirum nî paucorum libertati in periculum adductæ consulat. Non destituit certè supplices, quæ persæpè adiuuat ne inuocantes quidem. Itaque haud ægrè captiuorum duorum preces Virginem ipsis conciliarunt. Coetsveldâ è Westphaliæ finibus ad Aquas-Grani iuerant Hermannus Weylapius sutor, cum Ioanne fratre; & iam procuratis ex voto sacris, natali Virginis(cuius & ibi tum celebrabatur nomen)in reditû haud procul aberant Gelriâ vrbe. Hîc in manipulum equitum incidunt, à quibus spoliati primùm rebus omnibus, deinde vincti in custodiam rapiuntur. Sed de libertate sollicitis prior fuit ineundæ à MARIA gratiæ, quàm humani patrocinij parandi cura. Inuocatio itaque Siluaducensis Virginis saluti fuit; ad quam è carceris angustiis haud frustrà missæ sunt preces. Et votum dono cumulatum est, promisso sigillo argenteo peregrinantis viatoris habitum & scipionem gestante. Postero die (neque enim lenta sunt MARIAE auxilia) vtrique à custodibus ereptæ res ac libertas, omnibus rebus charior, reddita est. Illi ad propinquos restituti, & iam nuntij cælestium beneficiorum facti, à suis haud grauatè impetrant, vt secum Siluamducis pergentes,

gentes, honorem Liberatrici debitum soluerent. In M. ccc. LXXXIII.
sacrâ ædiculâ argenteum peregrini signum positum
est.

CAPVT CXVI.

Apoplecticus membrorum vsum recipit.

NEque minùs promptè ciuibus, licet procul ab- XXIII. Sept.
sentibus, quàm exteris Virgo subuenit. Arnoldus, Ioannis Hieronymi filius, Siluæducis trans Gerlaci pontem, inhabitabat domum, quam Curiam Hollandiæ dixêre. Inde in Hannoniam æstate mediâ profectus, Querceti, eius Prouinciæ vrbe, substitit. Verùm inibi tam grauiter morbo affectus est, vt neque pedibus valeret insistere, & vehementi omnes per artus dolore fuso torqueretur. Apoplexiâ eum teneri periti affirmabant, spe omni sanitatis incisâ. Iam sexta ab initio morbi hebdomas erat, quando ægro opportuna & ad curationem & ad reditum aperta est via. Tum nimirum altè in eius animum descendit salutaris de flagitandâ Siluaducensis Virginis ope cogitatio. Eâ cogitatione perfusus interpellat enixè Virginem, non illius modò cliens, sed ciuis. Sed & muneris nomine ceræ pondo promittit, maius propensæ in MARIAM fiduciæ, quàm opulentiæ signum. Has preces benè positas perceptus inde fructus affirmauit. Mox quidquid virium morbus subduxerat, restitui cœptum, redintegratâ quoque incedendi facultate. Ergo sospes in pa-

M. CCC. LXXXIII. triam rediit, ac tam longè foras prodeuntem optimæ Matris opem, inter suos domi celebrare non desiit.

CAPVT CXVII.

Puer ad vitam reuocatur.

XXVIII. *Sept.* ADhæc restituta puero vita, mirum quantum apud Brabantos æquè ac Flandros, Virginis nomini, ac famæ benignitatis adiecerit. Viluordiæ Michaëlis Melbroeckij statuarij filius, patri cognominis, cùm ad octauum diem letali morbo fuisset implicitus, superante tandem malo è viuis sublatus est. Ea mors hoc patri acerbior accidit, quòd bonam copiarum familiarium partem, non modò filium, auferret. Parens quippe annuo librarum septem Flandricarum reditu, ab Teneramundâ vrbe empto, censum auxerat, pensionibus tantummodò, quoad Michaël filius viueret, non ampliùs, duraturis. Vixdum ea pecunia Teneramundanis pernumerata erat, cùm in puerum morbus, atque exinde infesta mors ingruit. Cruciabat maior parentes dolor, quòd optionem à Teneramundanis etiam habuissent, cuiusnam è liberis (nam plures susceperant) vitâ terminari reditum vellent. Improuidi iacturæ tam propinquæ, Michaëlem tum decennem ac valentem puerum, atque in litterarum iam ludum itantem, prætulerant ceteris. Mœsti tantis malis coniuges exigebant quod reliquum erat noctis, quæ sacrum B. Mariæ Magdalenæ præcurrit

curritdiem. Tres interim horas exanimis iacuit filius. M. ccc. LXXXIII.
Michaël igitur Catharinæ vxori præscribit funeris sumptum ac modum; locumque humando cadaueri, vbi puer maioribus adderetur, designat: ipse appetente iam die, conscensum raptim equum effusis habenis, cursus magis quàm itineris modo, Teneramundam concitat. Sperabat scilicet, si defuncti Michaëlis nomen necdum in tabulas publicas relatum esset, haud ægrè impetraturum, vt alterius cuiuspiam filij sui nomini, ac vitæ spatio, reditus ille tribueretur. Sed hanc spem omnem fortuna frustrata est, Michaëlis nomine iam in litteras constituti reditus descripto. Eâ re cognitâ, Melbroeckius quà filij amissione, quà censu diminuto consternatus, inde Viluordiam redit. Ceterùm per viam retexenti clades suas obtulit se miraculorum Siluaducensium recordatio, quæ mœrentem optimæ impleuit spei. Sic erectior iam animus ad Virginem vertit sese, eamque obtestans, conceptis verbis spondet, si tam acerbæ cladi, redditâ filio vitâ, finis sit, properaturum Siluamducis, atque argenteam virilem effigiem, selibræ pondo, ad Patronæ aram fixurum. Intereà, quoad soluta fides esset, abstinentiam carnium quotidianam, ieiunium insuper quot sabbatis continuaturum. Talibus ille precationibus sic confirmatus est, vt haudquaquam vltrà ambigeret, de recuperandâ MARIAE subsidio filij vitâ. Tantum fiduciæ ac securitatis pectus incesserat. Nec vana præsagientis animi persuasio fuit. Nam reuersus

M. CCC. LXXXIII. domum, filium non viuum dumtaxat, sed sanum reperit, & pristino vestitu indutum. Qui blandè gratulatus reditum patri, ac de longiore absentiæ morâ sciscitatus, adiecit, perbellè interquieuisse se, infortunij molestiæque expertem. Ceterùm in tantâ familiæ vniuersæ lætitiâ, dum miraculi tempus ac modum retractant, quâ horâ pater votum emiserat, eâdem quoque filium, septem iam horas extinctum, à mortuis extitisse cognitum est. Enimuerò tum parentes amicique gaudere miraculo; nomen Virginis in ingenti gloriâ esse. Nec ita multò pòst, vicinis in gaudij viæque societatem assumptis, Michaël & Catharina cum rediuiuo, alteroque filio, Siluamducis se contulêre. Promissam ex argento effigiem donum statuunt. Peractis Sacris domos reditum est.

CAPVT CXVIII.

Fistula clauditur, cuiusdam vultui plus quàm annum infesta.

11. *Oct.* NEc diutiùs dilatus est Theodorus Ioncherus antequam sanitati redderetur. Huius vultum deformabat tetra fistula, longo ductu pus emittens. Subter oculum id vitium hærebat, nullâ medicinâ sanabile. Quippe Medici tentatis nequidquam remediis omnibus, desertâ curatione, nihil spei reliquum fecerant. Cumque annum, ac tres prætereà menses, in cruciatu perquàm vehementi Theodorus extraxisset, nequid per-

perditæ valetudini deesset, os quoddam è fistulæ sinu M. CCC.
excrescens, sic oculum arctauit, vt nouus coortus do- LXXXIII.
lor neque noctu neque interdiu quietem vllam infirmò concederet. Ergo ratus nullam morbi leuationem fore, nisi sese ad B. Virginem Siluaducensem medicinæ caussâ conferret; consilium sumit visendi Virginem, & cereum illi caput dono offerendi. Inde quieti corpus traditum. Exhaustâ nocte vbi prima lux affulsit, totum nudati ossis fragmentum suis sedibus motum, cùm adhærente circum pure, foras prolapsum est. Nec quidquam præter vulnus reliquum fuit, quod ipsum quoque breuî occalluit. Theodorus non magis incolumi vultu, quàm Virginis fauore exultans, Neomago, vbi primùm licuit, Siluamducis se contulit, ac Diuam inibi suæ salutis auctorem veneratus est.

CAPVT CXIX.

E carcere vincti duo euadunt.

DEnuò captiuorum acerba sors Deiparæ misera- V. Octob.
tione digna visa est. Occidentales Frisij pagum Schillinckhoutum appellant, Hornâ vrbe medium circiter milliare distantem. Habitabat eo in pago Henricus Iacobus, quando ad arcem Medenblicanam, aliquanto longiùs Hornâ dissitam, in custodiam insons pertractus est. Inibi tum Simon quoque Gerlacus, pari innocentiâ vir, detinebatur; Scadâ, pago item vicino, oriundus. Cùm tres iam hebdomadas ita op-

M. CCC. LXXXIII. oppreſſi luxiſſent, induſtriam Simonis iuſtus dolor accendit. Perfracto enim cippo aliquantiſper laxati pedes, occultum, ſed breue ſolatium habuêre. Quippe animaduerſo fugæ conſilio à cuſtodibus, binæ ſingulis ferreæ pedicæ iniectæ, omnem omnino ſeſe inde proripiendi ſpem præcidunt. Eum in modum clauſi, deſperatæ libertati, quam nulla vis humana promitteret, ſubſidium cæleſte implorant. Neque dubitant, quin Deipara Siluaducenſis, pro inſito ſibi iuuandorum hominum amore, neceſſitati ſuæ tantæ præſtò futura ſit. Itaque votum nuncupant adeundæ Diuæ, & cereum ei munus, cippum pondo librarum quinque, dedicandi. Eam in rem pecuniam ab aliis Chriſti nomine mendicare, prætereaque, donec promiſſum expleſſent, omni carnium eſu abſtinere conſtituunt. Neque ambiguo argumento proditum eſt, placuiſſe Virgini tam pias preces. Nam vix eas finierant, cùm apertus vltrò cippus, & feræ omnes recluſæ ſunt, nullo manum aut operam admouente. Ne tamen euaderent, obſtabant inſuper portæ tres, quarum primam prægrandis è ferro vectis obſepſerat. Illi, velut nouo infortunio trepidi, ardentiores ad Diuam emittunt preces. Ita receptis animis, cùm portam tentarent, vectis ſponte ſuâ deſiliit, portæque deinceps omnes diuinâ virtute patuerunt. Neque quiſquam è cuſtodibus fuit, qui fugientibus oculos animúmve aduerteret. Henricus Siluamducis profectus, omnia, quorum fidem Virgini dederat, perſoluit. Sacerdotes duo datis Lati-

Latinis litteris, quas Arnoldus Houtius Siluaducensis Canonicus non paucis tum præsentibus recitauit, Henrici dicta affirmarunt. Superuênit & Simon Gerlacus miraculi æquè particeps ac testis, atque Henrici narrationi iam celebratæ addidit fidem. M. CCC. LXXXIII.

CAPVT CXX.

Diuturnus ac molestus tibiarum tumor leuatur.

ETiam serò ipsam inuocantibus, salutarem manum Diua porrigit. Swama pagus abest duobus ferè passuum millibus Ruremundâ, Gelriæ vrbe. Huic pago Ioannem Portenarium Prætorem Theodorus Oestius Dynasta præfecerat, quem morbus abire Magistratu compulit. Vtramque tibiam dirus tumor insederat, ita sese attollens, vt ægrum pedes non sustinerent. Ergo nec ad tribunal accedere poterat, nisi alienis manibus per viam sublatus. Cùm sex iam mensibus sic in publicum efferretur, victus atrocitate mali, Praturam alteri cedere cogitur. Ne planè tamen hebescerent artus, cùm turgidus tibiarum ambitus etiam increscerer, adhibitis saltem fulcris corpus promouere constituit. Sed ne id quidem per dolorem licuit, solo terræ contactu exurgentem. Ita distenta crurum moles Portenarij miseriam in biennium produxit; quando proximâ superiore hieme dormienti Deipara adstitit, fulcra quibus niteretur, ad simulacrum suum Siluaducense deferre iubens, VIII. Oct.

M. CCC. LXXXIII. velut haud dubia tam infesti morbi piacula. Eâ denuntiatione expergefactus Ioannes, imperata promptè exsequi statuit, ac voto cogitata confirmat. Neque maior fuit hortantis Virginis benignitas, quàm promissa præstantis fides. Quippe confestim euanuit molestus tumor, ac Ioannes Deiparæ gratulaturus, sublata in humeros fulcra Siluamducis deportat. Adiungunt se illi, præter Aleydem vxorem, populares non pauci, quorum aut in MARIAM pietas, aut in amicum tanto malo exemptum beneuolentia emineret.

CAPVT CXXI.

Puella aquis mersa vitæ redditur.

XI. *Oct.* NOn viuos modò, sed etiam mortuos liberos MARIAE committere tutissimum est: quando illa iam toties parentum destinatis ad se precibus amissæ sobolis vitam reddidit. Tuylæ Christinam puellam aquis extinctam fuisse proditum est, Henrico & Beatrice parentibus maximo luctu præditis. Satis enim diu in fundo puella iacuerat, cùm extractam ac demortuam parentes recipiunt. Vitæ nullum indicium, spes nulla. Ex ore ac naribus extrema, ac spissior morientium saliua manabat. Ne quod tamen resuscitandæ fortè vitæ adiumentum omitteretur, cadauer primùm vento, deinde igni expositum est: tum crebrâ frictione nequidquam prouocatus calor. Tres igitur horas defunctam parentes luxerunt: donec inopes con-

consilij Siluaducensis Patrona consolata est. Illi quippe emisso pro salute Christinæ voto, cui mortuæ dudum mœrentes adstiterant, eam viuentem mox lætissimi adspiciunt; atque exacto deinde anno, (moræ caussam non reperio) votiuis tritici ac vini donis beneficam Virginem Siluæducis honorarunt. M. CCC. LXXXIII.

CAPVT CXXII.

Captiuus liberatur.

RVrsum Deipara cauendo ne diuturnæ sint captiuorum angustiæ, se amabilem efficit. neque segniter eius fauore vsus est Henricus, Wessemij in Hornanâ ditione pagi incola; quem hostis in arcem haud longè à Wachtendonckâ vinctum abripuit. Eò delatus ad palum alligatur, vtroque pollice in retinacula ferrea inserto. Qui ceperant, iam de Henrici fugâ securi, ad curanda corpora verterunt sese, captiuum subinde interpellantes. quos ille supplex orat, vt tantisper interquiescere ipsum sinant, itineris labore, ærumnæque huius molestiis exhaustum. Inter hæc ad preces se dare Henricus, cælestemque Reginam, quæ Siluæducis à tot afflictis coleretur, obtestari, vt periculum suum suosque luctus intueretur. Si euaderet, ab eius cultu optatum libertatis vsum inchoaturum. Eas preces haudquaquam surdâ aure MARIA excepit. Mox enim sinister vincti pollex sic extenuatus est, vt eum facilè annello ferreo, quo arctissimè XX. Oct.

[illegible], subduceret. Atque ille tam propin-[illegible] instinctus, cùm denuò in preces animum [illegible] vinculo solutus extitit, nullo hostium [illegible] pauci aderant) id notante. Ergo velut inuisus [illegible] præsentibus, & cibo sumendo, non somno, occu-patis, inde trans fossam proripit se, ac per deuios cal-les occultam maturat fugam. Ceterùm illi vt sense-runt auolasse prædam, conscensis properè equis, per regias maximè vias Henricum insequi, & impigrè quæritare insistunt. Verùm incassùm susceptus om-nis labor. Henricus interim ad suos Wessemium re-uersus, incredibili omnium plausu & gratulatione ex-ceptus est. Inde cognitus miraculi modus, atque an-gustissimo claustro exemptus sinister pollex, stupori fuêre. Accersitus denique faber ferreum nexum, quo etiam tum dexter pollex vinciebatur, dispescuit. Hen-ricus, prosequentibus Siluamducis familiaribus, ibi Deiparæ tum libertatem suam adscripsit, tum vincu-la, quæ attulerat, consecrauit.

CAPVT CXXIII.

Mortua mulier ad vitam reuocatur.

xx. *Oct.* PLerumque inuocata miseris Deipara subuenit: nunc vltrò ne valenti quidem auxilium flagitare occurrit. Hoc enim tempore planè nouum atque in-auditum miraculum, ingentem Siluaducensi Virginis sacello gloriam addidit. Aleydis nobilis femina (ma-rito

rito Petri Mennekeni nomen erat) Spelâ, mille à Iuliaco passibus, cum famulis ceterisque domesticis Siluamducis aduênit. Eam grauissimus morbus è vitâ sustulerat: sed ab hominibus destitutam haudquaquam deserüit misericordiæ suauissima Mater. Traditum memoriæ est, defunctæ obuersatam speciem MARIAE Deiparæ, auditamque dicere, conciperet vitæ spem, Siluamducis rediuiua peteret, & amiculo, quo inuoluta cadauera terræ mandantur, per viam induceretur. Post hæc & Seruator Christus eidem apparuit. Vultus præferebat mœstitiam animi, dolores suos retractantis. Membra per cruciatus vltimos lacerata, & plagis deformia, miserationem intuenti mouebant. His illa visis, pristinam valetudinem, non modò vitam recepit; & cælestis spectaculi haudquaquam oblita, inaurata iuglandis putamina vniuersis Christi cruciatibus depingi curat. Haud ita multò pòst, cum familiaribus non paucis, Siluamducis, vti Diua mandarat, funesto cadaueris habitu amicta perrexit, ac tum alia magni pretij atque opulentiæ munera, tum iuglandem Seruatoris nostri tormentis insignem, MARIAE tam propitiæ deuouit. M. CCC. LXXXIII.

CAPVT CXXIV.

Difficillimus partus expeditur.

QVidni in duplum celebretur maximæ Matris beneficentia, quæ vnius fauoris complexu tuetur duos? Ex partu sanè Falkenburganæ mulieris haud XX. Oct.

M. CCC. LXXXIII. minùs periculoso, quàm longo, clarissimum miraculum, parente filioque vnà seruatis, emersit. Mulier sex totas hebdomadas pariendi laboribus exercita, nullum tamen partum ediderat. Non deerant adiutrices feminæ, tamdiu laborantem miserantes. Sed parùm profuêre humana subsidia; præsertim cùm neque à fœtu aliquod vitæ indicium existeret. Inopes ergo consilij, nihilque præter cælestem opem reliqui esse ratæ, nummum complicant, eumque famulo Siluamducis, ad conciliandam puerperio MARIAM, ferendum committunt. Ille ingenti animi ardore ac festinatione, vt in re tam ancipiti, breuî iter absoluit, nummum præfectis ædiculæ tradit, rogitans, vt feminæ tam diu parturientis salutem ab illâ, quæ citra dolorem & noxam peperit, exorent. Responsum est, Deiparæ magis, quàm ipsorum precibus nitendum esse; si enixè rogetur, illi matrem, illi sobolem, ne Christiani lauacri exsors occidat, cordi fore. Hæc vbi dicta, reuersus celeriter famulus, omnia domi plena gaudij solatiique offendit. Mater iam marem enixa erat, formâ & valetudine præstantem, ac cælestis Baptismi participem. Ac ne quis de miraculo ambigeret, recognoscentibus temporum spatia, compertum est, quâ horâ Siluæducis à famulo munus oblatum esset, eâdem quoque infantem in lucem progressum. Mulier puerperio defuncta, cùm primùm posse ingredi cœpit, vbi solemni ritu ad ingressum templi expiata est, Siluamducis properauit; dona pro facultatibus dedit.

CA-

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT CXXV.

Puellam amiſſam parentes à Deiparâ recipiunt.

AMiſſio liberorum perſæpè grauiùs parentum animos ſauciare videtur, quàm ipſa mors. Mortis enim & vnicus & breuis tantummodò ictus eſt, qui cum vitæ fine etiam deſiderium regreſſus præcidit: amiſſio verò,& dum rapit, letali plagâ obruit,ac velut vltra mortem, mortis ſenſum producit. Non ſinit tamen Virgo Deipara, vt huius generis calamitates longam in cultores ſuos iniuriam exerceant: ſiquidem Hermanno Nergennao atque Eliſabethæ coniugibus amiſſam filiam Gertrudem breuî reſtituit. Superior Aſſela (id pago nomen) trans Moſam, à Grauiâ abeſt vix M. paſſus. Inde parentes ęſtate mediâ ſub veſperam Gertrudem, tredecim iam annos natam, emittunt, ad reducendas è paſcuo boues duas. Natalis tum erat Ioannis Baptiſtæ, & feria hebdomadæ quinta agebatur. Primis tenebris egreſſæ domo puellę, vt viam inire cœpit, præſtò fuit ignotus vir, teterrimâ ſpecie, vultuque nigro. Is conſternatam arripit, & ambas eius manus cingulo inuoluens, nequidquam reluctantem in proximam Aſſelæ ſiluam protrahit. Stabat inibi, interempti quondam hominis piaculum, fortè muſco ſqualens, & vetuſta crux. Puella oculos vt in tantâ trepidatione circumagens, atque è manibus illius monſtri (cacodæmonem fuiſſe credibile eſt) elapſa, diuino

XXIV. Octob.

M. CCC. LXXXIII. diuino vtique impulsu, ad humanæ salutis monumentum aduolat, arctissimoque complexu stringit: non alibi tutior, quàm apud crucem, publicam Christianorum tutelam, futura. Perstabat interim iuxta imbellem prædam toruus hostis, & cùm nocumento esse non posset crucem tenenti, ad insidias versus, famelicæ cibum ac potionem exhibet. Sed Gertrudi salus quàm fames potior fuit: licet exanimata metu atque attonita non attollere oculos, non hiscere auderet; solùm ad crucem residens, illius complexu se tuebatur. At parentes, cùm filia multâ iam nocte haudquaquam rediret, per vias, per inuia sparsi cum amicis oberrant, vbique amissam quæritantes. Edocti quoque duorum pagorum Parochi de amissione puellæ, nihil antiquius habuerunt, quàm vt vel ad eam quærendam concionem hortarentur, vel pro inueniendâ precationes indicerent. Sed neque duobus insequentibus diebus ea reperta est. Tum enimuerò Elisabethæ in mentem venit, à Consolatrice miserorum MARIA postulandum esse, cuius copiam non faceret humanus labor. Adscitis igitur in voti societatem septem è familiaribus, Siluaducensi Deiparæ suâ ceterorumque vice pollicetur, si Dominico die ante obitum solis Gertrudis reddatur sibi, ituros Siluamducis, ac munus è tritico vinoque sacraturos. In hoc voto reposita vniuersa cunctorum spes, nequaquam fefellit. Atque ecce miraculum. Cùm quartum iam diem, is Dominicus erat, Gertrudis ab omni

omni raptoris adstantis iniuriâ tuta cruci inhæsisset, M. CCC.
improuisò illi cælestis quædam Matrona adstitit, mi- LXXXIII.
râ oris pulchritudine ac maiestate excellens. Hæc non erexit modò exanguem metu puellam, verùm etiam nigro illi monstro semet obiecit, ac procul coëgit facessere. Inde iam lætiori porrectâ manu, ex nemore deductam prosequitur ad paternam vsque domum, & longo terrore fessam, in lectulo acquiescere iubet. Illa simul tranquillo sopore, simul cælesti offuso oculis spectaculo non mediocriter recreata, appetente iam meridie, à suis in eo, quò diuinitus adducta erat, cubiculo inuenta est. Ac parentibus quidem turbæque amicorum, tantam ex mœrore ac desperatione lætitiam fecit, vt clamor viciniam peruaderet, gratulantium saluam rediisse. Mox auidè rogantibus, quo viarum errore acta, quâ regione locóve tam diu morata esset, visa auditaque omnia, vti exposuimus, enarrauit. Illi vix præ gaudio compotes sui, præclaram emissi voti, Gertrudis verò parem retentæ constanter crucis mercedem, tulêre. Præcipuè stantis iuxta crucem puellæ inuicta virtus, Deiparæ placuit, suos iuxta crucem dolores necdum oblitæ. Sub hæc tam inopinato feliciique euentu gestientes ad quinque & viginti pagani, Siluamducis contulêre sese, ac testimoniis de miraculi euidentiâ dictis, donoque votiuo repræsentato, non minore famâ quàm gloriâ Fautricis MARIAE beneficentiam celebrarunt.

M. CCC. LXXXIII.

CAPVT CXXVI.

Vaccas furto subductas recuperat dominus.

XXVI. *Octobr.* NEque solùm puella, sed animantes etiam amissæ, Deiparâ scilicet curante, possessoribus restitutæ sunt. Ekeræ (id pago Antuerpiæ proximo nomen est) Mathias Dyckstratius noctu vaccas quatuor amisit. Postero die magnâ contentione quæsitæ nusquam apparent. Sed irritus labor consilij perutilis auctor fuit, vt cum Elisabethâ vxore Mathias Siluaducensis Patronæ propitiam imploraret opem. Adiiciunt, si voti compotes euadant, carnem non antè gustaturos, quàm Deiparam in vrbe atque æde suâ salutassent. Vixdum dimidia abierat hora, cùm à vicino discit Mathias, Puttæ, inde haud procul, equam à quodam viro venumdatam esse: non alium vtique furto vaccas abegisse; eumdem Ekeræ item habitasse, locorum profectò peritiâ nefas ausum videri. Mathias, qui hominem etiam nôrat, his auditis Ekeram in cauponam templo adiacentem concedit. Ibi virum furto suspectum cum caupone prandentem offendit, ac velut Deiparæ instinctu se moneri sensit, adesse facinoris auctorem. Itaque protinus iniicit deprehenso manum, furem clamitans, atque abacti pecoris reum, iamiam debito supplicio scelus luiturum. Illum & vultus, haud sanè securæ mentis index, & corporis trepidatio, prodebant. Ergo vinciri se, non accusari

ratus,

ratus, ac Mathiæ dexteram complexus, orare cœpit, M CCC. LXXXIII.
supplici semet dedenti parceret; recepturum abactas boues, quas nouem scutatis nummis leuibus vendidisset. His dictis illicò pecuniam omnem in mensam effudit. Sed parùm eâ re mitigatus Mathias, Prætorem aduocat. Fur, quæcumque patrarat, sine cunctatione confessus, equam item ac loricam aliaque complura à se furto ablata adiecit, augens imminentis supplicij caussas. Proinde Deum suorum scelerum vindicem esse cognoscens, reste suspensus est; boues possessori suo redditæ. Exinde nono die Dyckstratius cum vxore Siluamducis abiit, ac se voto liberauit.

CAPVT CXXVII.

Ab energumenâ dæmones XXV. *expelluntur.*

NIhil vsquam est mali, quod non & in hominem XXII.
incumbat, & non Deiparæ tutelâ propellatur. *Nou.*
Quippe nihilo seciùs in malos dęmones, quàm in morbos, ceteràsve mortalium calamitates, summa Virginis potestas viget. Aleydem inuenio Virginem Deo sacram, MARIA opitulante, à diabolis compluribus liberatam. Parentes erant in Gelriâ opibus & genere clari, Godefridus Rauensberghius atque Aleydis. Filia ad Vesaliam vrbem Monasterio sese addixerat. Ingruerat eo anno pestilentia fœda, quæ vniuersam peruagata regionem, miras hominum edebat strages. Eius morbi metu consternata religiosa Virgo, nocte, Cæli-



M. CCC. LXXXIII. tum omnium anniuersario cultui sacrâ, vexari cœpit miseris modis. Quinque & viginti dæmones teterrimi corpus insederant, quorum vi ac furore exagitata Aleydis, ne continenter eâ quoque molestiâ ceteræ Dei famulæ turbarentur, in paternam domum deducta est. Eò Sacerdos euocatur, qui diuinis carminibus atque exorcismis atrocissimos hospites è Virginis corpore facessere iubeat. Illi indicto bello nihil moueri; iactare, quinque supra viginti coniuratos adesse; attonitum pauore corpus occupasse; ditionem, nunc suam, nequaquam deserturos. Nec furiosis vocibus eorum crudelitas multùm abhorruit. Postquam enim nihil Sacerdos profecit, illi velut inflati victoriâ sæuire immaniùs; atque Aleydi tam afflictæ, ne cibatus quidem sumendi, loquendíve facultatem relinquere. Quo animaduerso mater, liberandæ filiæ intenta, positis humi genibus, O Siluaducensis, inquit, MARIA, quæ nullius vmquam fefellisti spem, fine & meam domum debere salutem ac tranquillitatem tibi. Imperium tibi traditum in hostes exerce. Fac, eos & audaciæ tantæ, & immanitatis pœniteat. Ne sit diuturna possessio, quam vi arripiunt. Si Regina eorum vocari renuis, victricem sentiant. Hoc velut hostili classico perculsi dæmones, ferociam posuêre. Neque Virgini posteriùs aut victu aut vitæ commodis carendum fuit; libero alimoniæ vsu, non solùm appetentiâ restitutâ. Sentires infestos tortores, MARIAE potentiâ ligatos, cibum vltrà subtrahere non posse.

Ac

Ac Sacerdos ſatis intelligens miraculi gloriam Deiparæ Siluaducenſi reſeruari, omiſſis exorciſmis, hortatur mulierem, vt inde ſubſidium efflagitet, vnde tanta iam ſpes oſtenderetur. Eius ergo ſuaſu poſtquam triduum ea carnificina Aleydem agitaſſet, mater denuò filiam enixè Siluaducenſis Virginis fidei tutelæque commendat. Preces voto auget adeundæ eiuſdem ædiculæ. Vt votum à matre editum fuit, elingui adhuc per dæmonum artes filiæ non modò facultas, ſed etiam facilitas, quæ vellet eloquendi reſtituitur. Atque illa, vti par erat, primum linguæ vſum in precationem vertit, ac materno voto adiecit ſuum, è monilibus quoque, quod haberet chariſſimum, Deiparæ promittens. Vtriuſque tam pia ſupplicatio MARIAE cordi fuit. Extemplò importuni vexatores, diuinâ vi coacti, ex ægro corpore exceſsêre, & læta continuò ſecuta pax ſanitatem redditam confirmauit. Mater ſubinde cum filiâ, & magno amicorum numero, lætitiâ ex mœrore geſtientes, Siluamducis iter intendunt, grates agunt, donis ſe dignis ſedem Reginæ cæleſtis exornant. M. CCC. LXXXIII.

CAPVT CXXVIII.

Mulier graui caſu afflicta ſanatur.

FEminæ porrò Ardenburganæ, Margaritæ, ſalus reddita eſt. Ea ante annum & aliquot ampliùs menſes, Dunkercæ, vbi cum marito Gualtero Segero degebat, nocte in editum locum aſcendit, vnde no- XXV. Non.

M. CCC. LXXXIII. cturni ignes nauigantibus ostentantur. In excitandam flammam, quàm in periculum suum cauendum Margarita intentior, ex eo loco, qui fastigiis domorum multò altior erat, præceps decidit. Vt solum attigit, parùm à morte abesse visa est; tibiâ, brachio, ipsoque insuper dorso confractis. Ex illo cruciatus orti permagni, diu lecto ægram affixêre. Ad vltimum plus MARIAE Patronæ præsidium, quàm remedia medentium profutura existimans, ad illam pariter fiduciam & vota conuertit: quæ haudquaquam irrita ceciderunt. Repentè inuocata adfuit Mater Dei, ac tantum virium imbecillæ suffecit, vt fulcris saltem ligneis corpus loco moueret. Haud ita multò pòst, abiecto quoque omni sustentaculo, suis ipsa pedibus cœpit incedere. Siluamducis quoque (vbi licuit) cum vicinis progressa, cæleste beneficium læta prodidit.



OTHO-

M. CCC. LXXXIV.

OTHONIS ZYLII E SOC. IESV

HISTORIÆ MIRACVLORVM B. MARIÆ SILVADVCENSIS

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

Mulier varis laborans à morte reuocatur.



IN Operis huius decursu multò aliter mihi euenit, quàm iis qui in diuturnâ versantur viâ. Horum quippe, quò pergunt longiùs, eò maior est lassitudo: mihi verò vlterior tot cælestium beneficiorum tractatio non tam cessationem eximit, quàm impetum progrediendi accendit. Quò enim ex hoc miraculorum fonte plus bibo, plus sitio. Nihil certè reperio dulcius deliciis, quas MARIA condiuerit. His irritata satietas, semetipsa consumit. Tam verò MARIAE beneficium, quàm scribentium voluptas est, narrandis eius operibus

M. CCC. LXXXIV. bus non lassari, ac moli rerum parem animi magnitudinem experiri. Hac imbuti alacritate, ad octogesimum quartum tertijdecimi sæculi annum transgredimur, cuius initia illustrat Mater clementiæ, sanitatis dono, in mulierem varis aspersam collato. In Flandriâ erat Catharina, nobilis femina, equestris familiæ viro nupta, quam circiter ferias Remigiales vari oppleuerant, in mortis periculum adductam. Cumque domesticis nihil spei, ægræ parum vitæ superesse videretur, hæc Virginem Siluaducensem fidenter implorat. Eidem certam pecuniæ summam, atque intimum ex lino contextum amiculum voto destinat. Nec sua Catharinam frustrata fides. Mox euanescentibus pustulis cuti pristinus rediit color: ægra leuiùs habens breuî conualuit omnino, ac promissam lineam vestem cum nummis per certos homines Siluamducis Ianuario mense misit.

CAPVT II.

E periculo naufragij complures euadunt.

x. *Ian.* NVsquam abest MARIAE numen; quod medio quoque Oceano luctantes tuetur. Celocem conscenderant centum circiter vectores, cum omni mercium genere è Britanniâ in Belgium tendentes. In medio cursu aduersa sors præsens omnibus intentauit exitium, nauigio in vada delato. Ibi ad duas horas coacti subsistere, nequidquam aut moliri nauim, aut Syr-

Syrtibus educere tentarunt. At Henricus Droeghius, M. ccc. LXXXIV.
cum aliis nonnullis, manifesto periculo territus, Siluaducensem Matrem precationibus placare votisque instituunt. Admiranda dictu res: simul ac adeundæ Siluæducis votum prolatum fuit, è vestigio se nauis è fundo attollere, ac libero per altum cursu meare cœpit; cunctis stupore defixis. Itaque breuî portum, quò proficiscebantur, ad vnum incolumes tenuêre. Nihil eo portu tutius, nihil iucundius rati, quem Domina marium ac terrarum Virgo panderet.

CAPVT III.

Mulier nocturno terrore liberatur.

HAud frustrà MARIAE potentiam Luna exprimit, Regina noctis ac Præses. Huius quippe luci caligo tenebræque cedunt; illius propitio fauori vexationes, pauoresque nocturni. Ac feminam quidem, huiusmodi molestiis iactatam, egregiè Deipara protexit. Ea natione Lituana erat, ac parentes habuerat veræ omnis religionis exsortes. Galli puellam è Lituaniâ abduxerant, & Christianis mysteriis imbutam, obtulerant donum Reginæ suæ. Ludouicæ nomen impositum: ac deinceps adultæ maritus cum libertate datus, cum quo Dauentriam commigrârat. Hîc, cùm per æstatem in lectulo se ad soporem componeret, inusitatis perturbationibus correpta est. Ex eo, quotiescumque vesperi quieti corpus daret, terro- XVII. Ian.

M. CCC. LXXXIV. tribus concuti cœpit, ac ne quis iugulum suum peteret, insano mentis errore formidare. Anxiam de instantibus malis vrgebant etiam sub somnum species imminentium malorum; siue illas imagines sensibus obiectæ, siue animi desipientis consternatio suscitat. Mensibus omnino tribus hisce terriculis agitata, circiter Diuis omnibus sacrum diem Siluaducensi Patronæ commendat sese. Nec irritæ fuerunt Ludouicæ preces. Nocturna formido omnis, ac trepidatio, in securam tranquillitatem mox versa, cælestis beneficij magnitudinem prodidit, quietem, iucundissimam vtique vitæ partem, restituens. Illa malo libera, ac Deiparam laudibus ad cælum ferens, illius se subsidio è grauissimâ molestiâ emersisse Siluæducis enarrauit, donisque narrationem cumulauit.

CAPVT IV.

Innocens vinculis expeditur.

XVIII. *Ianuar.* FIdissima innocentiæ tutrix MARIA, non diu clientem suum, Paulum Boeyskenum, violari passa est; quem improbi quadruplatores Louanium in custodiam publicam traxerant, nullius planè maleficij compertum. Et quamquam crimina atque accusationes struerent, quò in miseri scilicet pecuniam inuaderent; nihil tamen, illo innoxio deprehenso, profecêre. Ceterùm iam antè, quàm vinctus esset, alterâ tibiâ æger, hoc molestiùs compedis asperitate vexabatur. Quo

Quo cognito, nonnulli homines probi insontem miserantes, vt affectæ saltem parti dematur vinculum, à Iudice impetrant; nihilo seciùs crure sano ferreâ pedicâ constricto. Vnam iam supra tres hebdomadas diem in eo carcere Paulus exegerat, anxietate luctuque confectus, cùm eum inuocata Dei Parens saluum voluit. Vouerat quippe Paulus, si visendæ Siluaducensis ædiculæ potestatem fecisset Diua, ibi se ferrum quo teneretur, cum sacro aliquo munere dicaturum. Et pia insontis vota Liberatrici miserorum cordi fuêre. Diuinitus quippe oblatam è carcere exeundi facultatem Boeyskenus arripuit, morante nemine, quò minùs, vti erat, altero adhuc pede compedem gestans, abiret. Ergo ad templum Dominicanorum diuertit, chorumque ingressus est, religioso illo cœtu vespertinas Deo laudes (Dominicus tum erat dies) canente. Quem vt viderunt, magna simul admiratio miseratioque viri incessit homines pios. Ad demendam ergo, quæ restabat, compedem allegare quempiam ad Prætorem constituunt, qui obtineret vinculi clauem. Sed nimirum obstitit Pauli fiducia; quæ è carcere emisisset, ab eâdem Siluaducensi Adiutrice se ferreâ quoque pedicâ hauddubiè liberatum iri asseuerantis. Nec eius exspectationem Deipara distulit. Cùm enim suauissimum illud carmen quo, ipsâ Auctore, magnificare supremum Numen didicimus, decantaretur, ecce aliud miraculum, inspectantibus qui in choro psallebant Dominicanis omnibus, aperta nullo M. CCC. LXXXIV.

M. CCC. attingente claustra semetipsa laxarunt, atque in terram
LXXXIV. delapsa sunt. Accurrunt confestim Religiosi, ea vincula vt miraculo, ipsorum in æde patrato, à Virgine sibi tributa vindicaturi: monumentum vtique non leue tam manifesti MARIAE fauoris, quo simul suam in ipsos beneuolentiam proderet, simul templum ipsorum honestaret. Non minorem ibi, quàm Siluæducis MARIAE potentiam censendam esse. At Paulus contrà niti, & Siluaducensi auxilio rem omnem adscribere; huic Patronæ vincula, ceu tropæa, deberi, quam vnam ipse, cuius maximè interesset, cogitatione votoque respexisset. Ceterùm nil dubitare sese, quin vbique gentium ac locorum, & preces MARIA audire, ac miraculis vim suam testari possit: persæpè tamen eam certas quoque sedes aliis potiores habere, ac velut arcem suam occupare, vnde longè lateque beneficiorum suorum splendorem diffundat. Quæ vbi dixit, æquitatis vtique plena, approbantibus Dominicanis, iuxtaque gratulantibus, Cortembergam, qui pagus non longè abest Louanio, reuersus est. Inde paucis pòst diebus Siluamducis tendens, ipsa vincula eòdem detulit, Virginique cum donis sacrauit.

CAPVT V.

Brachium viri luxatum restituitur.

XXIII. *Ianuar.* NOn celeriùs aduersi casus in homines ingruunt, quàm iis opituletur Patrona publica; quæ Reynero etiam Culto prodesse voluit, in præsens vitæ discrimen

crimen

crimen coniecto. Is defunctorum omnium piaculari die ligna findens in terram corruit, sinistro brachio (altero scilicet humanæ vitæ adminiculo) fœdè luxato. Supremi ossis caput è sinu suo promotum, atque in alam prolapsum erat. Hinc magnus tumor per brachium diffusus dolore pari laborantem cruciabat. Implorata Medici opera haudquaquam proderat, insanabilem esse mali vim pronuntiantis. Tam improuisa aduersitas altè penetrauit Reyneri animum, neque minùs repentino incursu, quàm sensu perculit. Sed Reynero mora subsidium peperit, quod nescierat subita noxæ vis. Nam gliscente sensim morbo, & remediis medentium iam desperatis, cùm ea pestis tres hebdomadas tenuisset, Siluaducensem Virginem inuocat, vouens, semet ad eam, si salus redderetur, iturum, perque viam emendicaturum pecuniam, quâ cereum brachium redimeret offerendum Deiparæ. Sentires gratas fuisse Virgini preces. Os quod à sede suâ foras exciderat, repentè in locum pristinum se recepit: atq; æger quidē, paulò pòst valetudine recuperatâ, voti doniq; memor, nihil eorum, quæ Diuæ debebantur, prætermisit. M. CCC. LXXXIV.

CAPVT VI.

Captiui nouem liberantur; è quibus septem contemptâ voti Religione diuinitus puniti.

PErenni profectò copiâ manarent in calamitosos diuina beneficia, nisi eorum cursum aliquando interpolaret humana peruersitas. Quos cælestis clemen- XXIII. *Ianuar.*

M. CCC. LXXXIV. mentiæ fastidium ceperit, seueritatem Numini extorquent, licet aliquâ semper lenitate temperatam. Hanc Dei indolem, tum sæpè aliàs, tum præcipuè olim quorumdam subsidio, aliorum supplicio maturando, MARIA expressit. Onerariam conscenderant vectores multi, è Flandriâ cum Ioanne Sandio in Zelandiam traiecturi. Vbi Middelburgum applicuerunt, ab incolis inclementer excepti sunt. Mox enim nouem ex iis in custodiam abducti, homines quosdam in mare per summam iniuriam præcipitasse arguebantur. Tam acerbum, sed falsum crimen inficiantibus surdæ iudicum aures erant; quantumcumque rei pertenderent, se Ludouico Maleano, Flandriæ Comiti subditos, atque addictos, eius partes & nomen tueri, ditionibusque illi recuperandis, quod possent, arma sumpsisse. Sed arctior indies custodia, & quotidianæ ad extremum supplicium deposcentium voces, vehementer vinctorum intendebant metum. Iamque pridie Natalis Christi catenæ iniectæ ad integrum mensem innoxios afflixerant. His malis fatigati, salutem suam Siluaducensi protectrici credere statuunt, atque vno ore, vt tutelam ipsorum gerat, ardentissimè obtestantur. Interim carnem non degustaturos, quoad voto Siluæducis expediuerint sese. Mirum est. Tam infensis anteà custodibus vsi, mox eosdem longè æquiores, & mitiorem prætereà carcerem habuêre. Post tertiam quoque hebdomadam, soluti vinculis omnes, nullaque exactâ pecuniâ, dimissi sunt. Ioannes porrò San-

Sandius cum vxore Catharinâ, libertatis, diuino beneficio assertæ, haudquaquam immemor, Brugis Siluamducis contendit, ac promissa Diuæ exsoluit. Reliquorum vt dispar animus, ita infelicior exitus fuit. Eorum nemo se Diuæ stitit. Vnus tamen Iacobus Gauweloosius, creditorum vexatione, in Flandriâ detentus, iustam moræ excusationem habuisse visus est: præsertim, cùm circumacto iam anno, quo vinctus fuerat, à carnium esu religiosè abstinuisset. Neque deinceps diuturnitas carceris implendi voti constantiam fregerat. Ceteros siue mentis impietas, siue beneficij obliuio, in diuersum abstulit. Nam depositâ tam Siluæducis adeundæ quàm abstinentiæ votiuæ curâ, quem capti Deiparæ cultum addixerant, iam liberati omiserunt. Sed breuî septem illi religionis contemptores insanam cibi vetiti auiditatem præsenti exitio luerunt. Ad vnum omnes intra annum, posteaquam liberati fuerant, cælestis ira perculit. Variis cladibus ærumnisque iactati, ne vno quidem impunitatem adepto, infausto exitu supremum vitæ diem omnes clausêre. Ita vindicatus est Deiparæ honos metusque; pij beneficiis aucti, sontes malè mulctati sunt: illorum felicitas, horum pœna à simili vecordiâ plurimos, miraculi gnaros, deterruit.

M. CCC. LXXXIV.

CA-

M. CCC. LXXXIV.

CAPVT VII.

Nauis cum vectoribus mirè seruatur.

XXVIII. *Ianuar.* IN mediâ rerum hominumque pernicie inuocata Deiparæ virtus, omnia strata atque euersa sustollit. Zegero sanè Dyckio certam opem tulit, vnà cum naui in vltimum periculum delato. Gorcomio ille auenam euehebat, sociis duobus in nauigium assumptis. In medio cursu nauis erat, cùm vi procellæ in incertum abrepta tandem latentis subter vndas cuiusdam anchoræ brachio illata sedit. Procumbit illicò Zegerus, præsenti periculo pauidus, ac Dei Matrisque Siluaducensis fidem implorat; vtque se suosque reduces domum sistat, cereum nauis simulacrum muneris loco repræsentaturum affirmat. Iam preces effuderat, cùm decedens æstus freti affixam immani anchoræ, qualis ab Hispaniam petentibus vasto Oceano immittitur, nauem destituit, vadum hinc inde ostendens. Tum verò suspensa altè nauis, & ne subiectas quidem aquas attingens, nutare ac fluctuari, nautæ neque egredi tutò neque subsistere, & vltima sibimet (nisi tutiorem anchoram obtulisset Diua maris præses) ominari; donec reciprocans æstus vndas refluas inflauit. Sic alleuatum nauigium, non solutum fractúmve, aquis leni tractu subeuntibus, ex anchorâ in fluctus recubuit, illæsa pristinum repetens cursum. Ceterùm non pauci, qui præternauigauerant, pen-

pendulum ac vacillans nauigium cum ſtupore eminus intuiti, faciebant miraculo fidem; teſtati ne vacuam quidem nauem vllam, ſine diuinæ opis vi ita ſublimem retinaculo hærere potuiſſe, vt non diruptis tabulis, laxatíſve compagibus, ſolueretur. Itaque ſatis apparere, cuius præſidio incolumis nauis exiſteret. Zegerus autem decimo, quàm ſeruatus fuerat, die, & promiſſa Siluæducis præſtitit, & Virginem omni laudum genere celebrauit. M. CCC. LXXXIV.

CAPVT VIII.

Mulier ſtrumis liberata facilem quoque partum obtinet.

NEque ſilentio prætereundum eſt quod Bruxellæ accidit in Falconum plateâ Catharinæ, Ioannis Smitti vxori. Diſpoſitæ longâ ſerie ſtrumæ cernebantur per corpus cumulatæ, ac prorepentes. Cùm ad leuandum malum ſecta vena eſſet, inſpecto ſanguine, fœtum vtero ferre chirurgus ignaræ indicat. Ea res marito curam acuit, tenellum adhuc conceptum in ortu ipſo periclitari, manifeſtæ perniciei radices iam agentem. Nec quidquam eius pietatem morari potuit, quò minùs vxori à Matre ſalutis ac vitæ ſuppetias poſceret, quæ Siluæducis tam promptè ſupplicibus obuenirent. Eódem profectionem ſuſcepturum vouet, ſine lineâ veſte calceiſque obeundam. Adhæc cereum ſimulacrum Diuæ promiſſum. Eidem infans, qualemcumque naſci dederit, conſecratur, addicitur. 1. *Febr.*

M. CCC. LXXXIV. Nec id vanum euasit. Confestim depulsus de sede suâ morbus, in vitiatis partibus non vltrà perstitit. Concepta quoque soboles felici constitutione increscens, paulatim id magnitudinis ac roboris accepit, quod neque prægnanti graue, & ipsi consentaneum esset. Secundo inde partu in lucem edita infans femina, die lustrico Batæ nomen accepit. Ceterùm, ne vulgari Deiparæ beneficio Catharina seruata crederetur, vnà cum prodeunte in vitam infante prodigiosum ostentum effudit. Effigies ea fuit mulierculæ, grandis oui magnitudine, quæ & vtero velut grauida tumeret, & venâ in brachio apertâ, sanguine manaret. Trecenti eoque ampliùs famâ rei tam nouæ exciti, spectatores miraculi fuere. Infans post tertium vitæ diem è viuis excessit, salutiferis tamen Baptismi aquis ritè abluta. Smittus decimo quàm Catharina sobolem peperisset die, Siluæducis vota exsoluit.

CAPVT IX.

Incendium compressum.

V. *Febr.* SVbinde vehemens incendium à MARIA, ceu fonte misericordiæ, patentibus semper venis aquas fundente, Middelburgi restinctum est. Quo tempore Seruatoris aduentum Christiani celebrant, flammæ ex improuiso præcipuam vrbis regionem populari cœperant. Cumque ad octo iam domus igne periissent, etiam vento cladem vrgente, incolæ auxilij inopes,

inopes, serpentes latiùs flammas spectabant attoniti. M. ccc. LXXXIV.
Officinæ quædam oleo & adipe refertæ, illato in eas incendio vehementer conflagratæ, subsidium omne arcebant. Sola supererat diuina vis, tanti mali potens futura. Hanc impigrè occupant Michaël Ioannes, Paulus Loyus, Ioannes Victor, aliique non pauci, eiusdem periculi pauorisque participes. Hi prouoluti pariter in genua Siluaducensis MARIAE inclamant opem. Quæ haudquaquam lenta miseris adfuit. E vestigio flammæ concidunt, venti aliò vertuntur, ac furorem ponunt; nulla vicinis additur strages. Michaël cum sociis, ad agendas B. MARIAE grates, Siluamducis profectus, præter Siluaducenses alios, Middelburgi tum fortè versatos, atque incendij sopiti spectatores, Theodorum quoque Batenum, haud vanâ fide virum, testem habuit.

CAPVT X.

Miles è mediâ morte subducitur.

SÆpè exercitus & castra, nunc vnum caput MARIA tuetur. Memorabile est Rosebecanum prælium, quo Carolus VI. Gallorum Rex, Ludouico Maleano Flandriæ Comiti suppetias ferens, Gandensium audaciam fregit. Comitem defectio subditæ vrbis, Gandenses supplicij metus, ac veniæ desperatio efferauerat. Vtrimque valida manus, atque, vt animis tam irritatis, pugnandi ardore ac fiduciâ victoriæ in- VII. Febr.

 censa.

M. CCC. LXXXIV. censa. Sed Gandensium dictator, Philippus Arteuelda, ferocius quàm cautius prælium iniit. Cùm enim aperta nimiùm latera irrumpentem hostium vim non sustinerent, Gandensibus in arctum coactis, non spatium ordines explicandi, non expediendi tela, non hostem pari conditione fortunáve lacessendi relictum est. Inde alij super alios ruere, inuicemque collidi, & magis suorum quàm hostium armis premi sauciarique cœperunt. Consternatio ac tumultus in rabiem verterat, solis pereuntibus infestam. Fusa, fugataque Gandensium acies: Arteuelda non vno vulnere ictus cadit; cæsique circà omnes. Exin duplex fama est: Galli ad XL. millia Flandrorum cecidisse tradunt: Flandri auctores ad dimidium detrahunt: vtrique genti suæ indulgentes. Ioannes Arlæus Helmondanus, quem in tam ancipiti dimicatione Diua seruauit, circiter XXX. millia desiderata fuisse, retulit: idque propius fidem esse existimo. Sequebatur ille Gandensium signa, & priusquam concurreretur, salutem suam Siluaducensi Deiparæ enixè commendarat. Abstinere omni carnium esu, donec satis voto fecisset, animo fixum ac statutum erat. Ita incitatus in hostem iuit: qui cùm dextrâ læuaque circumfusus consternata Gandensium agmina incursaret ac premeret, Arlæus, suorum ruinâ in foueam oppressus, & corporum partim spirantium, partim exanguium cumulo obrutus est. Ibi votum initio pugnæ conceptum redintegrat, & cùm iam pedibus tumultuantium conculcaretur, magis

magis magisque Deiparæ se tegendum committit. M. CCC. LXXXIV.
Haud frustrà. Felicem exitum MARIA expediit, Ioanne in tutum recepto. Ille salute lætus, cuius ignorabat non auctorem sed modum, dein Virgini Siluæducis vota persoluit.

CAPVT XI.

Cuidam sigillum in hostili direptione seruatum.

ETiam leuis momenti res, à mortalibus custodiæ suæ contraditas, Deipara conseruauit. Britanni pro Gandensibus Ludouico Malcano Comiti infesti, occidentalem præcipuè Flandriam vastantes, cuncta latè ferro ac rapinis fœdabant. Relictis sedibus suis incolæ, quidquid fuga hostili furori demeret, de rebus suis asportabant. Qui res auferre nequiuerant, saltem vitæ consulebant. Neque Montes S. Winoci eius cladis expertes fuêre, quam & Spickera pagus iis proximus sensit. Inde profugus Winandus Wentelius, magis de se quàm de suis rebus, vt in tanto metu, sollicitus, non supellectilem, non monilia publicæ expilationi subduxit. Hostes, paratam nacti prædam, domum exspoliant, armaria effringunt, cunctà diripiunt. Intereà fugienti Winando sigilli argentei, de catenâ eiusdem materiæ pendentis, in mentem venit. Augebat animum cura, ne sigillum ablatum verteret in damnum suum, eoque raptor aliquis interuerteret fortunas suas, atque ad se transferret. Hunc metum versanti spes orta est, sigillum, desperatis aliis rebus, VII. Feb.

M. CCC. LXXXIV. Tutelâ Deiparæ seruandi. Ergo Virgini Siluaducensi illud deuouet, cui vtiliùs cum omni supellectile domum totam commisisset. Neque Diua modicæ licet rei curam abnuit. Britannis aliò versis, domum redux Wentelius, cùm scrinia omnia effracta atque expilata essent, néc quidquam reliqui factum, vnum sigillum catenæ suæ innexum reperit; idque haud ita multò pòst Deiparæ custodi Siluæducis repræsentauit.

CAPVT XII.

Extremâ fame propè enecto Diua subuenit.

VIII. *Feb.* QVemadmodum Dei Parens misericordiâ vel maximè Filio similis est; ita nullum propè miraculorum genus à Filio patratum nouimus, quo non clareat etiam Mater. Ille non semel sectatoribus suis famelicis cibaria præbuit; hæc modò Rogerio Steenberghio Bruxellano, inediâ pereunti, panem suppeditat. Romam adierat, fœdatâ tum bellis Italiâ. In reditu, priusquam ad locum, pari ferè spatio Perusiâ Assisioque distantem, perueniret, à viarum obsessoribus spoliatus est. Iamque tridui Româ aberat. Eatenus strenuè progressum, cùm, vt in exhaustâ populationibus regione, per biduum cibi nihil gustasset, languidæ vires destituunt. Neque intra quartum inde lapidem vlla apparebat circumspectanti domus, quæ solatij spem ostenderet. Ergo fame sitique maceratus, cùm nullum præsentis fortunæ leuamen adesset, deficien-

ficiente vitali robore, languens fubftitit: tum membra fluere, fenfus labi cœperunt. Ita prouolutus in genua, manufque ad cælum attollens, etfi videbat humanum omne fubfidium in tantâ neceflitate interclufum effe, nihilo feciùs tamen diuini præfidij fpe fretus, quidquid animi nondum languor excufferat, ad Siluaducenfem Auxiliatricem inuocandam erexit. Protinus igitur madentibus fletu oculis torpentem iam vocem fummâ ope excitans, MARIA, inquit, quæ Siluamducis colis; quæ nihil ibi, nifi mifericordiam,fpiras; & potentiam orbi terrarum parem extendis; te oro obteftorque, vt vnde mea fortuna non poteft, inde tua me virtus expediat. Extorrem patriâ, coopertum ærumnis, & non, nifi te alente, victurum, fuftenta. Ne lux hæc mifero nouiffima fit, quod potes, profpice. Vel vmbrâ tui auxilij reuiuifcere poffum. Quod fi hîc fame moriendum, nullam recufo fortunam, quæ à te mihi impofita fuerit. Saltem, fi audire hoc fuftines, tuus occumbam. Hæc non incaffùm precatus, quò propiùs periculum aberat, hoc præfentiorem fupremæ Reginæ fenfit opem. Res noua. Protinus ante fe triticeum panem confpicit, in glauci coloris faxo iacentem. Augebat miraculi eminentiam candidiffimi panis, velut à fornace recens non odor modò, fed calor. Deliciis non neceffitati paratum crederes. Neque cunctatus Rogerius, cùm arreptum auidè panem diuideret, mirabili eius fragrantiâ haud parùm recreatus eft. Sapor quoque libo ouis tem- M CCC. LXXXIV.

M. CCC. LXXXIV. temperato, quàm pani affinior, iucundum vescenti gustum præbuit. Sed & panis ea magnitudo fuit, quæ viri etiam famelici appetentiæ sufficeret. Confirmatus hac ratione Rogerius, ac iam denuò compos sui, pro loco ac tempore grates egit Deiparæ, atque in patriam reuersus, ad reddenda vota Siluamducis perrexit.

CAPVT XIII.

Exulcerato erysipelate correptus sanitati redditur.

IX. *Febr.* PErpetuò recens Deiparæ ad omnem beneficentiam promptitudo, non commisit, vt Reynerus Burchius, nobili genere natus, diu opis suæ expers iaceret. Is Damasi atque Reyneri Berghiorum, equestri splendore illustrium virorum nepos fertur. Ceterùm perniciali ardore per corporis summa obrepente cruciabatur. Exulceratio altè in cutem penetrans, septem apertis foraminibus purulentam saniem eructabat. Corruptæ carnis species cùm fœtore, tum sordidâ illuuie horridoque aspectu præsentibus miserationem fastidio parem incusserat. Et quamquam morbus diu citra perniciem non poterat consistere; haud obscurâ tamen medicorum sententiâ, acriorem esse ignem, quàm qui humanâ vi extingui posset, iudicabatur. Reynerus intereà æstuare, torqueri, deficere, ac totum triduum sine sermone, sine sensu languere, non similior, quàm propinquior defuncto. Tum egregia famuli aduersus dominum se prodidit fides. Henricus nomi-

nomine, nihil non tentandum censuit, dum familiæ incolumem præstaret herum. Exuto seruo, amorem filij induisse diceres, paternæ saluti inuigilantis. Deiparam igitur Siluaducensem multis precibus Reynero propitiat; quem, si reualesceret, velut voti à se nuncupati vinculo nexum, Siluamducis ad celebrandum MARIAE honorem, sit adducturus. Consilium salutare, piumque, ac felix. Nam Dei parens, magis pietatem quàm fortunam precantis respiciens, pronâ aure votum excepit. Extemplò enim, ceu vitæ redditus Burchius, loqui cœpit, & contra spem omnium coërcitum erysipelas sanitati locum dedit. Nec modò intra triduum valetudo Reynero tuta fuit, sed & incrementa virium euenêre. Amici, omnisque domus lætitiâ perfusi. Idoneam inde opportunitatem secutæ matronæ nobiles, Reyneri Berghij filiæ coniunctum arctâ propinquitate Burchium, comitatu magno vtrosque stipante, Sittardiâ, atque ex Falkenburgensi ditione, Siluamducis contenderunt. Stamelartus Kelrius vniuersos hospitio excepit; & miraculum ab iis proditum, in tabulas inferri curauit. M. CCC. LXXXIV.

CAPVT XIV.

Hemiplegia puellam deserit.

IN externos tam prodiga Mater, denuò domesticis curam impertit. Henrico Littio, atque Elisabethæ Valeriæ, Molarij montis vicum incolentibus, filia XIII. Feb.

LI erat

M. CCC. LXXXIV. erat Mechtildis, quam circiter D. Seuerini Ferias pertinax morbus inuasit. Sinistrum corporis latus, perempto sensu iuxtà motuque, obsidebatur, velut influente spiritu destitutum. Resoluta faciei pars, frigore obrigens, oris rictum ad sinistram propè aurem contorquebat. Mater ingenti malo oppressam filiam cernens, nihil sibi prosperè cessurum sperauit, præter inuocationem præsentis Diuæ: cui nimirum & ipsam filiam sistere, & tritici viniqúe pondus, quantum filiæ charitas posceret, dedicare, interposito voto, decreuit. Obsecrationi successus optatus adfuit. Mechtildis salute diuinitus partâ, cum matre ac vicinis, miraculi gnaris, Dei Parentem summâ religione coluit.

CAPVT XV.

Puerpera ancipiti morbo leuatur.

XV. *Febr.* ALiorum remediorum sera, ac ferè post sanitatem voluptas est: medicina Deiparæ sine interuallo delectat, dum sanat. Quippe cælestis hæc Auxiliatrix non difficiliùs voluptatem præstat, quàm sanitatem. Huius clementiæ suæ significationem non obscuram quoque Louanij protulit. Ida, claro orta loco femina, Septembri mense prolem enixa, à quintâ puerperij hebdomade vehementi morbo iactari cœpta est. Iamque ita grauiter se habebat, vt preces magis pro felici eius obitu, quàm pro incolumitate funderentur. Diuinis itaque præsidiis, & commeatu sacro, quo moribun-

ribundos firmare mos est, instruitur. Corpore hunc in modum prostrato, etiam mens phrenitide agitata est. M. CCC. LXXXIV. Ergo quà mente, quà sensibus à statu suo abductis, superuenire mors visa, facilè circumstantes impulit, vt exspirantis manui sacrum cereum imponerent, velut ad Beatorum regionem cælesti cum luce abituræ. Proinde non semel è vitâ migrasse credita est; præsertim cùm totos quindecim dies tam ferox malum perseueraret. Duplici morte oppressam diceres: nunc animâ, quæ vita est corporis, nunc ratione, quæ vita est animæ, sedem suam linquente. Ioannes Roboedius maritus, vxore iam pænè amissâ, ad sistendam mali vim tum demum vota, necdum sera, adhibuit. Deipara precibus eius permota (nam carnium sibi esum interdixerat, vsque dum voto solutus esset) mox Idæ sanitatem obtulit; quæ nec à mentis inopiâ vltrà desipuit, & abolitas vires breuî recuperauit, maritoque adiuncta, votiuis muneribus Siluamducis allatis, Virgini grates rependit, tanti boni à Virgine accepti diuturnam sibi possessionem promittens.

CAPVT XVI.

Nauis cum nautis in tempestate seruatur.

QVos propitia MARIAE aura prouehit, eorum perinde tuta ac felix est nauigatio. Ita Reynero XVII. Feb. Deyo euenit è Prussiâ Amsterodamum repetente. Is appetente æstate è Prussiâ soluerat, multiplices mer-

M. CCC. LXXXIV. ces vehens. Ceterùm in Oceanum vsque delatus, iam directâ in Hollandiam prorâ, in procellam vehementem incurrit. Horribili impetu, rapidisque turbinibus excitati fluctus, quassatâ violenter naue, omnem salutis spem trepidantibus ademerant. Naufragium ante oculos erat, æstu onerariam identidem absorbente. Reynerus itaque, ad vota potiùs quàm ad armamenta se conferens, pollicetur Siluaducensi Matri argenteam nauis effigiem, si portum tenere contigerit. Pondus habuisse id votum, tempestas continuò mutata docuit. Nam sedatis procellis, optata nauigantibus affulsit lux, quæ securum deinceps cursum aperuit. Illi, commodâ vsi nauigatione, Amsterodamum tenuêre. Neque diu ibi moratus Reynerus (adeò Virginis tutela erexerat animos) alteram profectionem in Prussiam suscipit; incepto non minùs audace, quàm fortunato. Nullis enim illâ tempestate nauiculariis tutum videbatur, intra vnam æstatem secundò vela in Prussiam facere. Perrexit tamen Reynerus, & nauigatione denuò vsus est admodum prosperâ, ventisque adeò pronis atque ferentibus, vti cœptis illius adesse Dei Matrem, haud obscurè appareret. Ergo redux, & iam bis à cælesti illâ Adiutrice seruatus, Siluæducis eidem argenteam nauiculam, vnciarum quinque pondo, cum vicinis, Amsterodamo eum prosequentibus, consecrauit.

CA-

M. CCC. LXXXIV.

CAPVT XVII.

Fur ſuſpendio eximitur.

NEminem, quantumuis ſceleratum, miſericordiæ Mater deſtituit, tutricis eam loco implorantem. Thenis, Brabantiæ vrbe, ad Prætorem Guilielmum Wildertum, equeſtris familiæ virum, facinoroſus quidam ab accuſatoribus minimè vanis delatus eſt, non vno furto infamis. Aſſerebant, leproſi habitu rituque oberrare, ſtipem cogere, & miſerabili ſpecie rapinas occultantem, alienis fortunis inſidiari. Querebantur, hanc furandi licentiam, ſcelere quæſitam, vſuque confirmatam, nimis eſſe diuturnam. Guilielmus Prætor haud multò pòſt foras egreſſus, fortè hominem conſpicatus eſt, delatis ad ſe indiciis lepram oſtentantem, ligneoque crepitaculo excientem viatores ad largiendam ſtipem. Ratus, id quod erat, deprehenſum à ſe furem, ſatellites immittit, mandatque vinciri. Vt religatis poſt tergum manibus adductus eſt, Prætor ex eo multa ſcitatus, ſagaci interrogatione facilè comperit, haudquaquam criminis expertem eſſe. Inde reus in ciuitatem miſſus, factâ dicendæ cauſſæ poteſtate, Nil, inquit, tormentis, nil quæſtione opus eſt. Peccaui: non vnius facinoris ſum reus. Vt decimum & ſextum annum attigi, animum fraude, manus furto pollui. Neque ætate flagitia correcta ſunt; ſed peccandi conſuetudine, falſaque impunitatis ſpe corro- XVII. Feb.

M. CCC. LXXXIV. borata. Quidquid ſors obtulit, arripui: multorum etiam bona inuaſi. Nunc obſtrepente conſcientiâ, meoque iudicio damnatus, me clementiæ tuæ offero. Hæc reus. Nec quiſquam dubitabat, quin vltimum ſupplicium meritus eſſet. Igitur Sabbato proximo extra vrbis pomœria ad furcam rapitur, proſequente ingenti omnis generis ſpectatorum manu. Plus mille homines interfuiſſe ſpectaculo, proditur. Cùm ad patibulum religatus iam ſtaret, carnifex è Prætore quærit, velítne ac iubeat è ſcalis deiici. Tum vinctus ad Prætorem verſus, Voti, inquit, Siluaducenſi MARIAE nuncupati ſum reus. Angit animum ſiue dilata, ſiue neglecta religio. Vnum oro atque obteſtor, quandoquidem me certa iuſtaque mors pietati, quamuis ſeræ, non ſinit obſequi, ſaltem liceat eleëmoſynæ nomine tantum pecuniæ ab hac multitudine expoſcere, quantum conducendo viatori, meam vicem Siluæducis obituro, ſit ſatis. Non iniqua viſa poſtulatio. Intereà, dum corrogantur nummi, inaudita res accidit. Prætorem ſubitus inuadit dolor, velut vrgentis morbi initium, per omnes artus diffuſum, nullam ſui cauſſam prodens. Miſerandum in modum corpore pariter animoque æſtuabat. Verùm, quod magis admirandum omnibus viſum, cùm, quoad eleëmoſyna eſſet collecta, intereà reus è ſcalis deſcenderet, repentè Prætor Wildertius meliùs habere cœpit; imò ne morbi quidem veſtigium ſentire; altero humi iam ſtante. Qui ſimul ac denuò ſurſum versùs aſcendit, conti-

continuò eadem mali vis in Prætorem ingruit; manifesto indicio, ab ascensu furis eius morbum, ab impunitate salutem pendere. Neque id semel dumtaxat, sed iterùm, ac tertiò, quò miraculum foret illustrius, accidit: diuino vtique ostento miserum tam propinquæ neci subtrahente. Tum enimuerò velut cælesti admonitu instinctus Prætor, ab insitâ humanitate lacrymas cohibere non potuit; & quà dolore suo, quà vincti miseratione permotus, euentum tam nouum in omen vertit, atque vt ipsemet alienâ liberatione sanaretur, nimirum ex diuinâ voluntate esse credidit. Ergo ex captiuo sciscitatur, velítne per se Diuam visere, ac Siluæducis voto se liberare. Cúmque mirè lætus annuisset, Guilielmus funem iam ceruicibus insertum, patibulóque annexum detrahi iubet, hominémque vinculis metúque solutum dimitti. Is præ gaudio, velut à morte redux, vix potens sui, semel iterumque rogitare cœpit, an supplicium inhibitum sine fraude, atque in perpetuum remitteretur. Ac Prætor impensiùs etiam, quàm petebatur, omnem illi pœnam condonat. Ire sospitem, ire felicem iubet, cultum fauori Virginis parem reddere, immortale beneficium Siluæducis profiteri. Hæc elocuto vniuersa multitudo assensa est, oblatam diuinitus misericordiæ occasionem gratulantium. Ille, publicâ omnium sententiâ absolutus, lætitiâ triumphans, decimonono, quàm captus fuerat, die, rectà Siluamducis abiit; ibíque gratiis Deiparæ actis, patibulum cereum, M. CCC. LXXXIV.

ex

M. CCC. LXXXIV. ex eoque pendentem viri effigiem, liberationis suæ monumentum esse voluit. Ioannes Rysinghius, qui spectaculo adstiterat, reique vti gesta est seriem omnem ab ipso Prætore acceperat, Lucas prætereà Eyckius, aliique complures, auctoris ipsius fidei graue testimonium addiderunt.

CAPVT XVIII.

Tibia XL. *annis affecta sanatur.*

XXVII. *Febr.* LOngam inde calamitatem breui remedio superauit Deipara. Guilielmus Vossius sinistram tibiam exulceratam habuit totos annos quadraginta. Constiterat in affectâ parte corruptio continens, atque è patente semper sinu sanguinem emittens. Interdum irritata morbi vis sic ingrauescebat, vt annum integrum æger se lecto continere cogeretur. A Medicis non paucis, quorum se arti commiserat, molestiæ plurimum, remedij nihil, acceperat; incassùm labore sumptuque adhibitis. Ad vltimum cùm nihil præter miserias suas animo volueret, salutari maximè somno vsus est. Iacere humi visa est Deiparæ statua, atque adesse importunus quispiam monitor, qui in frusta eam diffringi iuberet. Idcircò lacrymari Guilielmus, ac Diuam obtestari, vt miraculo proderet numen suum. Tum statua benè precantium ritu manum sustulit, ac Guilielmum lætitiâ gestientem signo crucis muniit. Finito somnij viso, mirè in amorem Virginis Gui-

Guilielmus exarsit. Inde nuncupat votum Siluaducensi Diuæ pro auertendo tam inueterato malo. Atque misericors Mater, protinus adfuit cultori pio. Nam fistula mox carne suâ circumuoluta atque impleta est, & sanguis pabulo subtracto constitit. Vossius tam diuturno cruciatu immunis, comitantibus amicis, qui Dinterâ illum Siluamducis deduxerant, ibi crus cereum duarum librarum in Deiparæ ædiculâ suspendit. M. CCC. LXXXIV.

CAPVT XIX.

Nauis obuia hostium classi eripitur.

NAuigantibus non raro infestior est hominum quàm tempestatum vis. Sed Virginis præsidio ad vtramque frangendam nihil potentius. Atque alias quidem sæpè procellas hac ope discussas memorauimus; nunc magna hostium manus in vnam se nauem immittens, MARIA aliò vertente, cœpti irrita abiisse traditur. Domicilium habebat Eluingæ in Prussiâ Guilielmus Simon Campensis, qui è Rupellano portu soluerat, CCCL. vini doliis in onerariam benè magnam impositis. Martinalia tum appetebant. Ab orâ Gallicâ profecta nauis iam Hispanico vehebatur Oceano, cùm repentinus magnæ classis aduentus eam vehementer perterruit. Centum erant bellicæ naues, multis prætereà minoribus adiunctis, ad Simonem rectà tendentes. Eas, vt propiùs accessêre, Britannicas atque hostiles esse compertum est, ampliùs quin- XII. Mar.

M. CCC. LXXXIV. que armatorum millibus inſtructas. Mox è primo tantæ claſſis agmine emiſſa præcipua aliqua nauis, prodiit, curſu in onerariam directo. Ducenti milites oſtentabant ſeſe, in præſentem prædam magno impetu concitati. Guilielmus non vltra quinque & quinquaginta capita numerabat, quorum partim inſtitores, partim nautæ erant, multitudini tantæ & viribus & animis haudquaquam pares. Ergo improuiſo periculo attoniti, ingentem primò pauorem, ac deinde deſperationem mentibus verſare cœperunt: nunc de fortunis omnium, nunc de ſalute vitaque actum eſſe. Ceteris eâ conſternatione torpentibus, nauarchi tamen animo neque ſpes declinandi hoſtis, neque cura deceſſit. Non exciderat Siluaducenſis Adiutricis beneficentia, auertendis iam toties cladibus vltimis celeberrima. Huic igitur ſe, ſocios, merces, nauem commendat; edito etiam voto, ſi è tanto diſcrimine ſalui enauigaſſent, ſe donum daturum Deiparæ, ſimulacrum è cerâ, magnæ Flandricæ libræ pretio coëmptâ. Tam opportuna precantis nauarchi pietas Deiparæ cordi, periclitantibus ſaluti fuit. Dies quippe repentinâ caligine offuſus, haud diſparem nocti tempeſtatem dedit. Qui proram tenebant, intendentibus ſe tenebris, in puppi laborantes videre non poterant: tantum aberat vt ab hoſtili claſſe viderentur. Inter hæc ſecundiſſima afflans aura, onerariam protinus è Britannorum conſpectu abſtulit. Tum demum, velut altero miraculo, extemplò depulſæ cælo tenebræ

reddi-

reddidere solem. Iamque clarâ luce, respectantes Flandri, vt quàm procul abesset classis cernerent, nihil vsquam hostile conspiciunt. Itaque insperatâ lætitiâ exultantes, non vento magis quàm Deiparâ aspirante, mirâ celeritate ad Slusanum in Flandriâ portum appulsi sunt. Nec ea nauigatio Guilielmo lætior, quàm quæstuosior fuit. octingentorum & mille florenorum lucro ex mercibus ac vecturâ ditatus est. Inde voti cælestisque beneficij memor, Siluamducis delatus, ceream nauim Diuæ promissam XXXVIII. pondo donum dedit. M. CCC. LXXXIV.

CAPVT XX.

Quidam prælij primùm, deinde vulneris periculum euadit.

PRælium, cuius suprà meminimus, Rosebecanum, altero prætereà miraculo, non solùm cladibus & occidione Gandensium, insigne fuit. Nicolaus Andreas, maiore Littâ iuxta Mosam oriundus, conficiendi sulphurei pulueris (qui tum recèns pessimo publico vsurpabatur) atque eo ferrea missilia torquendi admodum gnarus erat. Eius relatu cognitum est, memorabilem pugnam salutis nostræ anno trecentesimo octogesimo tertio supra millesimum, proximè à D. Catharinæ natali, perpetratam fuisse. Ceterùm Nicolaus in perturbatâ Gandensium acie, vbi Mars erat cruentissimus, exteriore femore læuo sagittam hamatam excepit. Eo vulnere in terram abiectus est, XIX. *Mart.*

M. CCC. LXXXIV. atque incursantium turbâ proculcatus. Haud dubia mors Nicolao aderat, vltimi discriminis formidine perfuso. Sic fatalem aliquem ictum expectans, inter cæsos sauciosque confertos iacebat, ne mouere quidem valens corpus, nedum attollere. Tum velut cælestis moribundo oborta lux, eius mentem ad meliora sperandum impulit. Nam repentè precibus ad MARIAM Siluaducensem versis, eam rogare institit, vti saluum se funestæ dimicationi subtraheret: eo impetrato, argenteam læsæ partis imaginem ei donum laturum. Vix preces fuderat, cùm euestigiò speratum affulsit auxilium. Primùm enim subleuari sibi Nicolaus cælesti ope visus est; inde vires diuinitus sic confirmatæ sunt, vt confusæ præliantium multitudini etiam sese subduceret, atque inter tot tela, tot gladios impunè transiret. Iamque è periculo in tutum progressus, tam admirabilem ex atrocissimâ strage exitum attonitâ æstimatione pensabat, cùm recrudescens plagæ dolor vehementer eum exercere denuò cœpit. Siquidem adunca teli cuspis in vulnere hæserat, altè carni immersa. Et quamquam deinceps labia vulneris adducta, & glutinata paulatim erant, numquam tamen acerbo cruciatu vacabat offensa pars. Itaque metu grauioris mali incidendum ab artifice femur fuit. Sed ferrum è pristinâ vtique sede (nam supra poplitem penetrarat) dilapsum, nequaquam se in conspectum scrutantibus dedit. Sic denuò vulnus coaluit, & nullam in corpore latere cuspidem creditum est. Ceterùm cùm

cùm redintegrata doloris vehementia ſatis indicaret, necdum abſterſam noxam omnẽ, ſecto iterùm membro abditum ſagittæ ſpiculum veſtigare placuit: quod cùm ne tum quidem in apertum promeretur, iam tertio vulnus coire permiſſum eſt. Acerrimo interim, nec vmquam ſe remittente cruciamento, Nicolaus affligebatur; quando circiter tribus ante Pentecoſten diebus, melior ſpes, poſtquam tot labores vani euaſerant, ei tandem affulſit. Siluaducenſem Virginem denuò inuocat, vouens, ſi exitiale ſpiculum euellatur, ſe ipſum illud argenteo infixum femori Siluæducis ex arâ Virginis ſuſpenſurum. Voto facto, animorum iam plenus, rurſum ſeſe chirurgi manibus tradit, ad ſpiculum quacumque tandem ratione educendum. Illâ conſtantis viri pietate pernicies demum abacta, & curationis euentus celerior atque felicior, quàm pro humanæ artis modo, fuit. Vulnus quartò renouatum cuſpidem ſub poplite merſam illicò prodidit, omniqúe ſedato dolore mox obductum eſt. Sentires Deiparâ curante ſanari, qui eâdem protegente in aduerſâ pugnâ ſeruatus fuerat. Nicolaus votiuæ peregrinationis ac doni haud immemor, Gandauo ſactum iter executus eſt, & Siluæducis duplicis miraculi monumentum reliquit. M. CCC. LXXXIV.

M. CCC. LXXXIV.

CAPVT XXI.

Sacrarum caussarum iudex Leodij eiectis tribus calculis leuatur.

TEstatur quoque Leodium, se præsentius in grauissimo cruciatu remedium vix vmquam vidisse. Edmundus Boystius Siluaducensis, Iuris admodum peritus, atque pro Episcopo sacrarum caussarum Iudex in Eburonibus erat: quem circiter Kal. Iulias vrina, ita suppressa vt nihil proflueret, in maximos dolores coniecit. Obstructa omnis humori via, ad summos, sed irritos conatus, laborantem vrgebat. Medici, licet certis notis à calculo arctari omnes ductus corporis deprehenderent, emoliri tamen, aut mouere loco calculum non valebant, consilio curaque depositis. Increscebat interim tormenti acerbitas, atque Edmundum dolore amentem, nunc capite ad parietem alliso, nunc alio furoris genere, in multa perpessu aspera, impellebat. Omnino triduum hac corporis mentisque perturbatione agitatus, cùm necdum humor foras manaret, mediâ iam in morte Siluaducensem Matrem venerabundus inclamat. Et precibus apud Deiparam locus fuit. Extemplò copiosus liquor impetu profluens, tres calculos secum vexit, magnitudine inusitatâ: quorum vnus iustum digiti articulum figurâ æquabat. Tum verò Edmundus voce manibusque exuberantem significare lætitiam; salu-

ſalutiferam pariter ac dulcem hac beneficentiâ Virginem dicere, amore Deiparæ victum ſe fateri, huic ſe debere omnia; verùm ſoluendo non eſſe. Inde ad grates ſoluendas in patriam Leodio profectus, MARIAE ſalutem acceptam retulit. M. CCC. LXXXIV.

CAPVT XXII.

Captiuus è vinculis euadit.

HAud minoris admirationis fuit, Gerardi Groenij in libertatem aſſertio. Sommam ille petierat, tertio lapide ab vrbe Groningâ, patriâ ſuâ, diſtantem. Ibi per inſignem iniuriam, nihil tale promeritus, in carcerem conditus fuit. Raptores in quæſtum intenti, hoc ſpectabant, vt Gerardum parens magno redimeret. At cùm Theodorus pater tanti ſibi filium eſſe negaret, ad tres hebdomadas Gerardus hæſit in vinculis. Fortè tum illac iter habuit viator quidam, Siluaducis, voto vtique ſoluto, redux. Et huic ab iniquis manus iniectæ ſunt, pecunioſum eſſe ſuſpicantibus. Atque is in eamdem cuſtodiam datus eſt, quâ Gerardus vinctus tenebatur. Ad quem diuinitus profectò mitti viſus eſt, prouidentiâ Numinis, huius captiui miſeriâ ad Gerardi leuamentum vtente. Nam, colloquio inuicem habito, Gerardum edocet de tot tantiſque miraculis, quæ Siluaducenſis Virgo patraret indies, publico afflictorum omnium bono. Hortatur, vt huic commendet iniurias ſuas; huic queratur manifeſtam latronum 11. Apr.

tronum

M. CCC. LXXXIV. tronum vim, quibus nihil sanctum neque publici neque priuati iuris esset. Hæc vt à peregrino illo fidenter dicta, ita à Groenio auidè accepta sunt. Intereà peregrinus, à quo lucri nihil sperari poterat, dimittitur. Tum de eius consilio Gerardus, rogare Deiparam, vt se, quando aliud nullum auxilium suppeteret, ipsa defendat: duo ceræ pondo, emendicato pretio comparata, addicere; voto pronuntiato, certæ spei plenus esse. Ac supplicem MARIA Regina fauore suo complexa est. Momento ferreæ pedicæ, quibus astringebatur, aperuêre sese, impagibus quæ nectebant, spontè sursum vltra pedis altitudinem exilientibus. Tum Gerardus impigrè se in publicum è carcere eiicit, fugamque maturat. Et frustrà hostes insecuti sunt, mox in diuersæ ditionis locum, quem violari impunè non liceret, transgressum. Subinde Siluæducis Deiparæ partam libertatem gratulatus, promissi fidem egregiè præstitit.

CAPVT XXIII.

Mutus puer loquelâ donatur.

XII. *Apr.* DElectari Matris laudibus Deum sentias, quando de Matris voluntate muti linguam soluit, in eius præconium. Ad D. Trudonis fanum res accidit. Ioannes Stochemius, Abbatis pecuarius, filium habebat Cornelium, nouennem puerum, ab ætate ineunte prorsus elinguem; ceterà ingeniosum ac docilem. Parens hanc filij sortem miseratus, multiplicem

cem animo verſabat curam, ſiqua tam diuturno malo poſſet occurri. Demùm pridie Natalis Chriſti cum fratre, quando haud humanæ opis res videbatur, à Deiparâ Siluaducenſi flagitandum ſibi auxilium cenſuit; & votum vouit, ſibi lætum, filio ſalutare. Nam puer, qui numquam ad eum diem verbum emiſerat, repentè ſermonem protulit; ac deinceps expeditè, non modò rectè, locutus eſt: Siluamducis quoque à parente, patruo ac vicinis adductus, linguam, cuius vſum à Deiparâ acceperat, eius gloriæ propalandæ impendit. M. CCC. LXXXIV.

CAPVT XXIV.

Mulier dyſenteriâ & partu periclitans adiuuatur.

QVæ partus felicitate feminis cunctis excelluit, haud ſegniter ægræ prægnanti, & fœtui, in periculo conſtitutis, ſuccurrere exiſtimanda eſt. Eiuſmodi periculum Helmondæ in Hedwighem, Henrici Schuermanni vxorem, incubuit, ac præſenti Deiparæ ope diſcuſſum eſt. Torquebat mulierem cruenta alui deiectio, etiam grauidam ſexto iam menſe. Accelerauit pariendi neceſſitatem gliſcens morbi atrocitas, ac totos octo dies enixu immaturi fœtus exanimatam Hedwigem detinuit. Non leuius ſoboli quàm matri imminebat diſcrimen. Iam cæleſti decedentium Viatico inſtructa, iam ſacro ad ſupremum diem obeundum Oleo delibuta erat. Ab omnibus pro mortuâ putabatur: adeò vires torpebant. Namque & XIII. *April.*

M. CCC. LXXXIV. infernas corporis partes corde tenus mortiferum gelu aſtrinxerat, & velut exſpiranti cereus ſacer in manum inſertus lucebat. Tum amici Henricum adhortari, perpellere; ſi coniugem ſaluam velit, quamprimùm Deiparam Siluaducenſem ei conciliet. Haud ægrè à marito impetratum. Vouet igitur, ſi vxori ac ſoboli in hoc temporis ac rerum articulo præſidio ſit, ſique initiatam ſalutiferis vndis prolem dederit, ſe tantum Deiparæ auri, argenti, tritici, vini, ceræ ac lini appenſurum, quantum vxoris & ſobolis charitas imperaret ſibi. Ab eâ precatione cùm mulieri iam melius eſſet, ſine moleſtiâ atque offenſione partum enixa eſt. Infans Baptiſmo ablutus diem vixit: mater repentè conualuit. Inde Siluamducis itum eſt, actæque MARIAE Virgini grates. Hedwigis, ſublatis ad Diuam manibus, beneficium mirè extulit, quòd ſibi ſpiritum ac lucem, ſoboli ſalutem, marito ipſam reddidiſſet.

CAPVT XXV.

Inſolens membrorum contractio remittitur.

XVI. *Apr.* PAri felicitate ſubuentum eſt feminæ miſerandâ corporis ſpecie deformatæ. Catharina nomine, Florentij Alpheni vxor erat; Dammæ Flandriæ oppido habitabant. Vniuerſum eius corpus ante ſeſquiannum repentinâ motus priuatione perculſum, ſine viribus torpere cœperat. Accedente mox neruorum ac muſculorum contractione, pænè à naturali figurâ ac

ac situ membra desciuerant. Genua ad pectus addu- M.CCC.LXXXIV.
cta fixaque, labra in sinistram aurem distenta, totumque os peruersum, aspectantium animos miseratione atque horrore inuicem variabant. Morbus acutus ac vehemens breuî interempturus videbatur. Itaque Christiano ritu Sacramentis vltimis impertiendam maritus curat. Cùm sex iam hebdomadas Catharina magis in morbi quàm in medentium potestate fuisset, mœrens, demissè obtestatur Siluaducensem MARIAM, vt curationem tanti mali benigna suscipiat. Exiguo munere addendo, (ceræ pondo fuisse traditur) votum auget. Neque diu dilatum beneficium est. Mox immodica oris distentio laxari cœpta est, labris ad pristinam sedem reuersis. Vigore quoque per membra diffuso, etiam crura exporrigi potuêre. Inde per XX. hebdomadas artus fulcris subleuans, incessum non planè incommodè molita est; donec receptis pleniùs viribus Siluamducis valens abiit, ibique, plus in MARIAE ope, quàm in humanis adiumentis, præsidij inesse vulgauit.

CAPVT XXVI.

Puellæ tibia fracta restituitur.

SEmper Deipara inuenit, cui prosit; semper ei restat, XV. *Iun.*
in quod benignus eius fauor incurrat. Nunc Brugis puellam complectitur, & parentum precibus eius incolumitatem tribuit. In eam, fortè collapsam, se

M. CCC. LXXXIV. equus intulit, & calcatam ferreâ soleâ tibiam confregit. Extabat fragmen tibiæ, cute nudatum; quod eximere conati Medici, cùm periculum suæ artis frustrà fecissent, nihil profecêre. Ipsos nouem menses Catharina decubuit, quando Medicus, nihil morbo clementior, seuerè pronuntiat, totum crus præcidendum esse. Parens Edwinus Priccus, eâ re perculsus, quod à mortalibus vltrà exspectari non poterat, id à cælesti Reginâ contendere statuit. Siluaducensis itaque MARIAE implorat manum, tantâ miraculorum celebritate conspicuam. Nec illa defuit. Nam proxima Edwini precibus nox, nullo manum admouente, solutas tibiæ partes è loco suo expulit foras. Mox totum crus persanatum est, ne vitiatâ quidem ingrediendi facultate. Edwinus cum vxore Clarâ sanitate filiæ mirè lætus, eas, voti soluendi caussâ, Siluamducis perduxit, ob tanta in ipsos promerita impensè MARIAM veneratus. Frusta aliquot confracti ossis, quæ spontè exciderant, in ædiculâ Deiparæ monumento relicta sunt.

CAPVT XXVII.

Putei ruinâ oppressus vitam seruat.

XIX. Iun. NIhil tam aut naturâ aut casu abditum est, quod non penetret propitia MARIAE virtus. Etiam latentem sub terrâ respicit, ac profundo ereptum luci restituit. Ioannes Ponderneylius appellatus fuit, cui reddita salus præcipuam admirationem habuit. Is ad ege-

egerendas ſordes in puteum ſe dimiſerat coctili later- M. CCC. LXXXIV.
culo inſtructum, atque in magnam altitudinem preſ-
ſum. Huic operi intentum ſoluta fatiſcentis muri crepido obruit. Hærebat Ioannes ruderibus limoque demerſus, ac tantâ ſuperfusâ mole oppreſſus, vt vnam linguam, vix digitos, mouere poſſet. Accurrit confeſtim, vt in re tali, excita vicinia, ſed plus conſternationis quàm ſubſidij adferens. Ioannem intereà ſummus per omnes artus cruciabat dolor, tot lapidibus, tantoque terræ cumulo vnius caput vrgente. Iamque acerbiſſimum ſibi interitum appropinquare, mœſtâ præſenſione augurabatur. Sola mens, necdum læſa, perſtabat, miraculorum Siluaducenſium vtcumque memor. Ea recordatio Ioannem exſtimulat, ad votum Siluaducenſi Patronæ faciendum. Quo peracto, & ceſſauit ipſo momento omnis dolor, & immenſi ponderis preſſu ſe planè leuari Ioannes ſenſit. Abeſſe terræ grauitatem diceres, aut oppreſſo vires ad ſuſtinendum augeri. Nec eas mora quidem, quamuis magna, laſſauit. Quippe meridies nondũ aduenerat cùm ille in puteo tumulatus eſt, & iam à meridie veſpertinæ Deo preces decantatæ erant. Tanto vicinis haudquaquam cunctantibus ſpatio opus fuit, ad incumbentem Ioanni materiam, è puteo vtique profundo, eximendam. Qui vt, effoſsâ humo, capite humeriſque extare cœpit, & non ſpirare modò, ſed etiam valere viſus eſt, è foueâ ipſum eripientium alacritatem mirè incendit. Ergo velut ſepulchro ereptus, & à leto

M. CCC. LXXXIV. redux, nullâ sui parte læsus, prodiit. Circumfundebantur amici admiratione attoniti, ac sciscitantes, quâ ope, quâve ratione sic è puteo sospes euaderet. Ac Ioannes fauori Deiparæ, quam voto conciliasset, tam felicem exitum adscribens, vehementer auxit cunctorum lætitiam. Itaque faustis ominibus summoque populi applausu exceptus est, ac Siluamducis ad gratulandum Virgini lætus abiit.

CAPVT XXVIII.

Equitem Geldrum Deipara, ac deinceps eiusdem equum à morte eximit.

XXVI. *Iunij.* NVllum erga eos, qui segniter beneficia oblata arripiunt, beneuolentiæ pignus atque indicium omittere, id mentis est omni bono plenæ. Huiusmodi, secundùm Deum, se Deipara mortalibus præbet, ne post sui quidem neglectum, obliuiosorum dedignans preces. Etenim de salute Henrici Boetberghij, nobilis viri, sed non satis in pietate constantis, admodum sollicitam se ostendit. Hic cùm Falkenburgi datus esset in vincula, non leui morbo implicatus est, rationis, linguæ, ac reliquorum sensuum vsu deperdito, ad hebdomadas fermè tres. Permotis eâ viri miseriâ qui ceperant, custodiâ liberatur, atque in commodius hospitium transfertur. Ibi redeunte paulisper mente, concubiâ nocte vocem ad se delatam audire visus est, seu monentis seu sciscitantis: Quin tu peregrina-

grinationem Siluamducis voues, tot vtique calamito- M. CCC.
ſis ſalutarem? Ea vox cùm ſomnum abrumperet, illicò LXXXIV.
ſuſcipit votum, diuinitus, vti fides erat, imperatum. Nec id ſomniantis ludibrium fuiſſe, acceptâ repentè ſanitate didicit. Alleuat igitur ſemet, veſtem induit, erectus obambulat. Sed breuis fuit tanti beneficij memoria. Ille, voti incurioſus, in popinam ſe abdere, multùm poculis, pietati nihil dare, ingluuiem & crapulam religioni præponere. Eò progreſſus temeritatis Henricus, paratam in ſe Virginis acciuit iram. Mox priſtinus, velut Dominæ vindex, morbus adfuit, hominemque ſic viribus exuit, vt ab imbecillitate non aliter quàm ferculo aſportari domum potuerit. Hoc ſupplicium aperuit oculos, quos occæcârat impietas. MARIAM denuò, & iam magis ex animi ſui ſententiâ, rogatâ veniâ, votoque repetito placat. Et tutum ad expertam clementiam reditum habuit: Deiparâ in occaſionem, quâ magis gauderet ingenio ſuo, vltrò intentâ. Nam ſanitas ei ſic reddita eſt, vt quamuis MARIA æquiore ſe vti ſentiret, ſupereſſet tamen, velut relictus ſeueritatis aculeus, aliqua imbecillitas, quæ ipſum præteritæ culpæ admoneret. Quamobrem & fulcris ei ad inceſſum, & ad peregrinationem obeundam vecturâ opus fuit. Ita Siluamducis delatus, fortè in ipſum incidit diem, quo ſolemni ſupplicationis pompâ Deiparæ imago circumferebatur. Confert ſe in ædiculam fulcris nixus & precibus Diuæ perſolutis, ad hoſpitium redire inſtituit. Vbi templi portam atti-

M. CCC. LXXXIV. attigit, velut iniectâ diuinitus manu, retentus eſt, veſtigium efferre non valens. Quocircà, fruſtrà ſecum aliquamdiu luctatus, retrò flectit gradum, & recenti malo timidior iam factus, ad ſtatuam Deiparæ venerabundus reuertitur. Iteratis ibi precibus, aucta egrediendi fiducia rurſum ſucceſſu caruit. Nam ad fores vtcumq; procedentem denuò in ipſo limine ſtitit occulta vis. Tum priſtinæ impietatis conſcientiâ ictus, eiuſque abs ſe pœnas expeti ratus, crebros edere gemitus cœpit, ac manantibus vbertim lacrymis, à Virgine, necdum penitus conciliatâ, pacem precari. Neq; Boetbergij perturbatio ac pauor multitudinem fefellit, à diei celebritate copioſam, atque euentu rei ſuſpenſam. Ille interim anxius ac nutans in Virginis ſacellum ſe recipit, ac proiecto humi corpore, brachiis in crucis formam expanſis, certiorem ſibi opem accuratis precibus implorat. Poſtremò ſeptimùm Angelicam ſalutationem ſummo animi ſenſu repetenti, tibia, velut conflictu ſaxi rupta, concrepuit. Id abſolutæ ſanitatis indicium fuit. Namque erectus in pedes ſine adminiculis ſubſtitit, quæ ipſa protinus ad MARIAE aram appendit. Secuta tunc gratulatio publica, pænè nouo infortunio interpolata eſt. Quippe necdum inde digreſſo occurrit famulus, equo, quem in hoſpitio curaſſet, ingruere mortem (immotus enim torpebat) vociferans. Hoc nuntio perculſum Henricum hortatur circumfuſa turba, vt iumentum Deiparæ tuendum mittat; cereum equi ſimulacrum voueat: cui dominus cordi

cordi fuisset, equo non defuturam. Boetberghius ob- M. CCC.
iectâ spe fretus, inuocatâ eorum suasu Deiparâ, mox LXXXIV.
exauditur. Cerea rediuiui equi imago sacrata: grates actæ: miraculum, multiplici euentu lætum, aduenarum sermonibus longè lateque diuulgatum; vrbs Gelria, vnde venerat, à Boetberghio repetita.

CAPVT XXIX.

E pueri corpore dæmon exigitur.

QVemadmodum malignus dæmon præsentem XXIX.
nobis felicitatem inuidet, futuram intercipit; sic Iunij.
Dei Mater & illam seruare nobis, & hanc adferre, profligato teterrimo hoste, singulari voluntate contendit. Id quod mortalibus eò certius ac frequentius accidit, quòd illa numquam victa ex hoc certamine discedit. Arnoldus equidem Ioannis Douerrodij atque Helwighis filius, victrici Virginis pro ipso propugnationi salutem debuit. Ante tres, quàm miraculum fieret, annos, illum nocturnus sopor oppresserat, in nauigio auenâ onusto procumbentem. Ibi (siue serpentis bestiæ vera species, siue præstigiæ ei se obtulêre) fœdus vermis atro colore, in eius nares irrepere visus est. Ex eo die puer haud secùs ac si infernam aliquam pestem imbibisset, penitùs immutatâ mente ac moribus, valetudinem semper aut suspectam aut læsam protraxit. Nec diu sese crudelis insidiator occuluit, quin atrocibus indiciis præsentiæ suæ virus proderet.

Oo Iam-

M. CCC. LXXXIV. Iamque satis comperto, hostem in Arnoldi corpore residere, nulla piacula cælestium placandorum, nulli exorcismi, precésve omissæ sunt. Sed perstitit ad annos pænè tres infractus dæmon, non nisi Virgini cessurus. Tandem, cùm solemnitas annua appeteret, quâ per vrbem gestari statuam Virginis mos erat, diabolus, velut præsentiens propinquum exilium, sæuire acriùs in puerum institit. Sexta ante celebritatem illam dies erat, cùm Arnoldus conuulsâ omnino mente rabieque percitus, miserandum in modum furere ac bacchari cœpit. Inter hæc placidiore nocturnæ quietis interuallo vsus, Deiparam cælesti lumine radiantem aspicit; atque illa, Ne dubita, inquit, aut quartâ aut sextâ post imminentem festum diem feriâ, omni molestiâ liberabere. Vaticinatio vera fuit. Sextâ feriâ quam Diua suggesserat, parentes comitati amicorum manu à frumentario ponte, filium in ædiculam Deiparæ, tum (vt veteribus miraculorum tabulis traditur) adhuc nouam, adducunt. Illa nihil cunctata hostem expellit, fugatque; puero salutem reparat; circumfusæ multitudini admirationem iniicit. Ac parentes tranquillo iam filio, puer exhilaratis mirè parentibus, ex conspectu mutuæ felicitatis ingentem cepêre lætitiam, ac dona Virgini pependêre. Dæmon rabie suâ inuolutus, in debitas sibi tenebras rediit; numquam victricem Reginam sine cladium suarum memoriâ visurus.

CA-

M. CCC. LXXXIV.

CAPVT XXX.

Suffocati aquis pueri duo vitæ redduntur.

VTi puerilis ætas, à consilij & prouidentiæ inopiâ, VII. *Iulij.* ferè maximè infortuniis opportuna est: ita plurimum ei à Deiparâ opis impenditur. Quod satis constat, vno die è diuersis regionibus Siluamducis allatum fuit, duos pueros, pari exitu defunctos, salutifero Dei Parentis subsidio reuixisse. Mathias, Elisabethæ Herwerdiæ filius, Nistelrææ in puteum prorsus altum præceps decidit. Fortè pueri superuenêre, qui viso socij periculo ad vicinorum domos, longè, vt in pago, inuicem dissitas, properant, matrem quæritantes. Ea diu non reperta, serò adfuit. Puer iam animam efflauerat, supinus innatans aquis. Quem vt mater extraxit, ac mortuum humi deposuit, effusè lacrymans, & sibi & filio Siluaducensem inuocat Virginem; ei certum vini, tritici, argentique & auri pondus addicens. Incredibile dictu: Mathiam illicò viuum aspicit parens, eumque Siluamducis comitata, cum votiuis muneribus sospitem Diuæ repræsentat. Atque hic quidem matris, alter amicorum precibus morti ereptus est. Theodorus erat, Aleydis Neyliæ VII. *Iulij.* filius, Anholti in Zutphaniensi ditione tum degentis. Is in lacunam fimeto proximam lapsus, cùm diu colluuie haustus iacuisset, à matre aquis, sed iam mortuus, eximitur. Illa filium vitâ sensuque penitus de-

Oo 2 stitu-

M. CCC. LXXXIV. ſtitutum intuita, exanimis iuxta cadauer corruit, animo viribuſque collapſis. Frequentes vicini aſtiterant, quà ſolatio quà auxilio futuri. Qui haud ſegniter matris occupant vicem, & quod ipſa non poterat, votum ſuſcipiunt. Neque longas preces expectauit Deipara. Vixdum eæ finitæ erant, cùm è mortuorum numero exemptus puer, matrem pluriinùm recreauit; quam qui eius vicem vouerant, Siluamducis cum Theodoro deducentes, promiſſa Deiparæ gaudentes ſoluerunt.

CAPVT XXXI.

Quidam manuum ac pedum vſum diu expetitum recuperat.

x. *Aug.* NEque minùs illuſtri miraculo longus Gualteri Baerlij morbus depulſus eſt. Ipſos decem annos ita pedibus manibuſque debilis fuerat, vt ne incedere quidem per morbum licuerit. Plerumque increſcens etiam noxæ vis, lecto miſerum ad hebdomadas continentes decem affigebat. Non tamen eius oblita Deipara Siluaducenſis, ſiue precibus viri, ſiue miſericordiâ ſuâ adducta, diuturnum eius mœrorem diuinâ viſione leuauit. Etenim nocte quadam dormienti, præclarâ ſpecie, auguſtoque ſplendore fulgens MARIA Virgo ſe oſtendit, atque incredibili benignitate hortata eſt, Haberet in ipsâ certam ſanitatis ſpem; votiuâ vtique profectione muneribuſque promiſſis. Cæleſti monitu mirificè recreatus Gualterus, aduocato con-

feſtim

festim Parocho visum aperit: qui dein pro concione M. CCC.
auditores rogat, vti ad Deum Deique Matrem pro LXXXIV.
ægri salute fundant preces. Verùm Deiparæ alienâ deprecatione Gualterum sanare, cordi non fuit. Itaque nouâ superueniente calamitate creuit afflicti ægritudo, vt pariter miraculi se splendor intenderet. Inuasit oculos repentina cæcitas, interclusâ penitus omni cernendi facultate. Ad quinque dies præpedita visio, mentis oculos Gualtero exacuit. Itaque non alia certior obtinendæ sanitatis via, Deiparæ subsidio, visa est. Eò diuina vis Gualterum impulit; eò ipse haud cunctanter confugit, recenti præsertim eius aspectu clementiaque inuitatus. Nec cæca aut fallax spes illa fuit. Statim sibi melius esse sensit, simul vt votum emiserat. Oculi, ceteraque membra officio mox fungi cœpêre, nullo ampliùs motu sensúve carentia. Ac Baerlius quidem in viam se dedit, ac breuî Hunessemio Siluamducis peruenit incolumis. Hic persolutis quæ vouerat, decennis morbi tædia oblatis à Virgine gaudiis commutauit.

CAPVT XXXII.

Innoxius grauissimâ quæstione liberatur.

IN minuendis quoque tormentis insonti illatis ad- XXXI.
miranda Deiparæ potestas enituit. Petrus, Engel- *Augusti.*
berti Gruteri filius, Parisiis in Belgium reuertens, inter D. Quintini Fanum & Quercetum comprehen-

 sus,

M. CCC. LXXXIV. ſus, atque in cuſtodiam traditus eſt. Proditorum ritu infeſtas inſidiis vias habuiſſe, atque inſtitores, hoſti dedendos, obſeruaſſe, crimini dabant. Mox in caput eius quæſtiones de proditione habitæ ſunt. Et poſtquam in conſpectu Petri à carnifice omnia crudelitatis inſtrumenta deprompta ſunt, duabus primùm horis altè à terrâ ſuſpenditur, ad veritatem, quam ab eo ſedulò tegi credebant, exprimendam. Sed ille nullum crimen confeſſus, gentium iura nequidquam apud ſurdas aures implorans, in innocentiæ ſuæ defenſione perſtitit. Illi rurſus tormentis admotis hominem ſcalæ applicant, ab eaque manibus pedibuſque religatum, vi ſummâ diſtendunt. Ingens inde truncus diſtenti tergo ſubiicitur; quem cruciatum ceteris acriorem fuiſſe, teſtatus eſt. Nec ſic quidem frangi conſtantia potuit, vt falſa confitendo ſibi perniciem conſciſceret. Verùm, cùm nullus doloris finis oſtenderetur, Gruterus incertus, quatenus illi ſæuitiam exercerent, verſâ ad Siluaducenſem Patronam fiduciâ, eam intentâ ſupplicatione inuocare cœpit; &, Cur, inquit, innocentium Patrona vnica, cur ſeruum tuum, & ſceleris, vt noſti, expertem, in tam immani lanienâ deſtituis? Si nemo vnquam te fruſtrà coluit, recordare, me bis in ſacello tuo ſupplicem Maieſtati tuæ cæleſtes honores detuliſſe. Quid reliquum eſt? niſi vt poſt hoc periculum ſemel aſpiciam effigiem Siluaducenſem tuam, quam ante periculum ſæpiùs veneratus fui? Præſens ſors mea vt peracerba eſt mihi, ita tibi glo-

gloriosa sit. Quem respicies, si cultorem iam cognitum auersaris? Dum hæc Petrus eloquitur, derepentè fidiculæ omnes, quibus nectebatur, ruptæ dissiliunt: Deiparâ profectò non vltrà sustinente tam crudeliter vinciri ac torqueri, cuius & innocentiam ipsa cognosceret, & amorem probaret. Qui quæstioni præerant Iudices, ac tortores, miraculo omnes hæsêre attoniti, vt solutum diuinitus Petrum vidêre. Ergo pœnitudine animos subeunte, insonti se noxæ damnoque fuisse confessi, quem tam euidenti prodigio MARIA soluerent, promptissimè dimittunt; oblatis etiam in viaticum, vt tum res erant, satis lautum, florenis tribus. Petrus libertate, quàm acceptâ pecuniâ lætior, Vdemium, in patriam, indè se contulit; ac posteà Siluamducis profectus vota persoluit, etiamnum cicatrices non paucas, tam sæuæ quæstionis testes, ostentans. M. CCC. LXXXIV.

CAPVT XXXIII.

Tres vinctos Deipara soluit.

RVrsum vt ex miserâ captiuorum sorte ipsis felicitas, Deiparæ gloria obuenerit, exequar. Godefridus Cranius, Bartholomæus Bodenus, atque Henricus Kesselmannus, Mosam amnem, vbi is Ruremundam alluit, nauigantes, ab Adamo Culeno, prænobili equite, intercepti sunt. Haud procul aberat eiusdem arx, in quam vinctos compulit, custodiæque mandauit. Ibi vno omnes cippo induti tenebantur. Cùm reme- *2. Aug.*

M. CCC. LXXXIV. remedio solatióve nihil esset, optimum visum est, Siluaducensis Diuæ benignitati se credere. Huic igitur (quod in Christi etiam vulnerum honorem cederet) ceræ pondo quinque promittunt, ex emendicatâ stipe, non ex bonis suis præbendæ. Emisso voto eorum vni in mentem incidit; cessantibus fortunam abesse; impigros, propriæ felicitatis auspices, quam sortem sibi occupando disponerent, suam facere: secundos lætorum euentuum exitus à strenuis inceptis pendere: si libertas cordi sit, conatu ad eam enitendum esse. Hæc cogitata vbi sociis enuntiauit, non displicuerunt illa quidem, sed plena tamen vel difficultatis vel amentiæ visa sunt: quandoquidem nihil ad manum erat, quod moliendæ fugæ conueniret. Vnus dumtaxat lapillus & clauus iacebant humi; exiguum ad effringendam custodiam adiumentum. Huic tamen consilio intentos nox oppressit. Et quamquam ingens libertatis cupido stimulabat animos, densissimæ tamen tenebræ cælo offusæ destinata exequi vetabant. Ergo denuò MARIAE supplices fiunt, ac demissè ab eâ lucem exposcunt, cuius subsidio è tantis se malis expediant. Tum enimuerò manifestus Virginis eluxit fauor. Quippe obscuro in carcere inusitato fulgore radians lucerna apparuit, & sponte suâ in ipso, quo vincti claudebantur, cippo quieta astitit. Ea lux haud lætior eorum oculis quàm animis affuit. Itaque probè animati lapillo (res noua) icti cippi fibulas feriunt, iisque resolutis corpora explicant. Neque tamen

men is finis periculi fuit. Nam candela mox oculis mirantium ſubducta, in tenebras, priſtinis haud minores, euanuit. Eâ re non parum conſternati, iterùm ad exploratam MARIAE ſe conferunt opem. Iam tertiùm obteſtantur, non oſtentet gratiam, ſed abſoluat; nec eam ipſis fugam funeſtam faciat, cuius dux adeſſet: longiorem vtique lucem ad id diſcrimen quod reſtaret opus eſſe. Precationem alia, non minùs admiranda, ſubſecuta res eſt. Cælum clariſſimam lucem in ipſos effundere viſum, opportunam è carcere exeuntibus viam aperuit. Illi, cippo in humeros ſublato, quà Diua daret, quinque paſſuum millia progreſſi, in Hornanam ditionem, vnde venerant, contendêre. Neque cippus, quantumuis ponderoſus, properantibus oneri aut moræ fuit, ne leuis quidem alicuius baculi tum pondus excedens. Ita ſeu leuitas ligno, ſeu vadentibus vires à Deiparâ additæ fuêre. Vt in tutum recepti ſunt, infinitas MARIAE gratias agentes, Siluamducis ſe contulerunt, eumdemque cippum geſtantes cum votiuâ cerâ delubro Virginis conſecrarunt. Sic æterni ſplendoris Mater parum ſe beneficam humano generi fore credidit, niſi quam lucem ſemel feliciſſimo partu ediderat, perſæpè eiuſdem lucis vel radium demerſis caligine mortalibus impertiret. M. CCC. LXXXIV.

M. CCC. LXXXV.

CAPVT XXXIV.

Naufragi è mortis faucibus eximuntur.

11. *Maij.* Eiusdem lucis radij non modò terrâ, sed etiam mari periclitantibus salutares fuerunt. Redibat Sconâ Iacobus Petrus, haleces onerariâ Dordracum vehens. Medium nauigationis cursum vehemens, vt hiberno tempore, procella abrupit. Nauis diu exæstuantibus oceani fluctibus quassata, tandem vadosæ syrtis dorso illisa dissiliit. Socij nauarcho ampliùs xx. erant, è quibus promptiores decem se raptim in scapham coniiciunt: ceteri fragmenta nauis, quæ cuique obtulerat sors, complexi, tandem cum Iacobo in nauis speculam multum luctati euadunt. Malus enim à reliquâ naui auulsus, cæcoque impactus vado, cum trabe cui hæserat, vndis extabat, speculam vndarum fastigio eminentem sustentans. Qui se scaphæ crediderant, aliquamdiu tempestate iactati, demum ex alto in portum decurrêre. At quos nauis magistro calamitas iunxerat, longè sæuior fortuna excepit. Tres ipsos dies totidemque noctes cibariis omnibus destituti, obuersante perpetuâ mortis imagine, incertum ad exitum in speculâ pependêre. Erat propè continuus cæli fragor, immistæque niuibus grandines torrida frigore corpora lacessebant. Pigritia ac desperatio in omnium vultu ac voce eminebat: cùm nec rigentibus manibus adstrictos gelu funes retine-

tinere possent, nec in vllam regionem se tutò obuerte- M. CCC. LXXXV.
re; quod vndique procellæ tetrior facies, quàm vitabatur, occurreret. Ergo salsâ illuuie obsiti, fameque ac siti enecti, quem quisque locum ceperat, eum se morti elegisse augurabantur. Verùm deficientibus tot malorum tædio, nox tertia salutem ostendit. Repetita enim Siluaducensium tot prodigiorum memoria, facilè ad Deiparam, in vltimâ necessitate inuocandam, impulit, & in tantâ alimentorum penuriâ tum cibi, tum potionis instar, aluit. Neque Virgo spreuit humilibus fractisque animis emissas preces. Quippe obscurâ nocte, ingens medio cælo se effudit lux, adfuturæ mox opis prænuntia, quæ rectam in facis modum flammam explicans, sereno latè fulgore tenebras pepulit: vnicum in tam propinquo discrimine versantium solatium. Simul enim aurora proxima solem extulit, dirigente nimirum Deiparâ, in conspectum se nauis quædam dedit, rectâ ad ipsos visa tendere. Quæ, vt adfuit, vtque ad malum sese applicuit, naufragi properè è fastigio mali delapsi, in eamque excepti sunt, pro se quisque Deo, Deique Matri gratulantes. Tum somno ciboque curatis corporibus, in terram expositi, periculorum finem viderunt. Iacobus Dordraco dein Siluamducis profectus, destinata perfecit; ac præter alia, Diuæ cultui idonea, ceream speculam, nauali ornatu, donum obtulit.

M. CCC. LXXXV.

CAPVT XXXV.

Furioso mens ac ratio redditur.

Iunio. HAud leuior alienatæ sensu mentis, quàm æstuantis irâ pelagi tempestas est. Verùm vtriusque violentia facilè frangitur, Deiparâ tranquillitatem immittente. Et Iacobo quidem Houckio ad componendum mentem inuocatio MARIAE mirè profuit. Is Westerscoudæ agebat, cùm ferocibus deliriis iactari cœpit: inde horrendo aspectu, inconditis clamoribus, ac vesano corporis impetu, semet aliosque infestare, atque inusitatâ rabie multa petulanter moliri. Quamobrem ne aliis vim afferret, ferreæ manicæ iniectæ sunt, quæ miserum sesquianno vtcumque compescuerunt. Intereà Medici omni remediorum adhibito genere, nihil omittunt operæ, quò furentis animus conuertatur. Vbi id parum processit, Siluaducensi Deiparæ, cuius tot miracula fama vulgaret, ab amicis enixè commendatus est, promisso eidem tritico, ex consuetudine tum vsitatâ appendendo. Hîc diuinum beneficium ab omnibus agnitum est. Mox ferrum ab vtraque vincti manu spontè defluit, deliramenta abeunt; ratio tamdiu de sede suâ deiecta, menti redit. Neque deinceps Iacobus absurda atque à sensu consilióve abhorrentia vel locutus est, vel effecit. Amici, quorum preces ei Diuam propitiauerant, Siluamducis profectum frequentes deduxêre. Ille votum

tum illorum, præcipuè ſuum exiſtimans, religiosè M. ccc. LXXXV.
perſoluit. Dona quoque Virgini data ſunt: quæ quòd amenti intelligentiam, furioſo quietem reddiderat, planè hominem homini reſtituiſſe viſa eſt.

CAPVT XXXVI.

Quidam quater captus, toties liberatur.

MVltiplex quoque Arnoldi Renghelwartij captiuitas promptam MARIAE miſericordiam ciuit. Middelariæ primùm, haud procul Guyckâ, ab hoſtili equitatu exceptus, ac, tranſmiſſo Rheno, in paludoſo ſaltu ferreis vinculis arbori annexus eſt. Octo ibi dierum fuit mora. Tum libertatis capeſſendæ oborta ſpes, diuino vtique inſtinctu, Arnoldi animo Siluaducenſis MARIAE memoriam indidit. Eò omnis verſa cura. Pollicetur Virgini cereum; viatoris ſigillum libræ pondo, octo item comites peregrinantium ritu, adſciturum ſe, qui ſacrum iter vnà peragant. Sic illi parta libertas, ſed lætior quàm diuturnior fuit. Quippe à veſtigantibus ex fugâ retractus, denuò in vincula compellitur, etiam maligniùs, quàm antè tractandus. Sed iam deguſtata Seruatricis Virginis benignitas, iterùm ſupplicanti facilem viam expediit. Nondum tamen aderat miſeriarum finis, inſtabili ſorte mirum in modum gaudia luctumq; alternante. Nam tertiùm ac quartùm, tot fruſtrà conatibus cœptis, in perſequentium furorem incidit. Verùm quod toties calamitas

M. CCC. LXXXV. esse videbatur, id nouæ felicitatis initium fuit. Demum enim redintegratis idemtidem ad Deiparam precibus, ex hostium vinculis manibusque elapsus est; ac se plusquam totum Virgini debuit, à quâ toties dulce libertatis pignus accepit.

CAPVT XXXVII.

Puer ab apibus interemptus in vitam reuocatur.

11. *Iulij.* INfirmissimum est naturæ humanæ robur, quod non vrsi modò ac leones, sed etiam apes, minimæ mitissimæque animantes, prosternunt. Neque illæ tamen, nisi lacessitæ, lædunt; ac bellum magis arcent quàm inferunt. Ceterùm asperrima, vt lenissimorum, ira est, si irrites. Sensit Ioannes Gertrudis Daemsiæ filiolus, quem Maræ (id pago nomen) infestæ apes aculeis confossum peremerunt. Irritatas puerili temeritate sæuiisse, etsi id nusquam in monumentis notatum reperio, tamen propius vero existimo. Vtcumque fuerit, destitutus vitâ puer, ad duas horas iacuit, donec maternis precibus permota Siluaducensis Mater, eum à morte reuocauit. Quo Virginis clementissimæ beneficio mirè gestiens Gertrudis, quæ rediuiuum repentè filium habuit, paullò pòst vsitatis eâ tempestate muneribus, vino ac tritico Siluæducis grates addidit; longè mitiorem apibus MARIAM experta.

CA-

M. CCC. LXXXV.

CAPVT XXXVIII.

Paralytica neglecti voti dat pœnas, ac demum sanatur.

NE ingratos quidem ac perfidos, si impietatis modò pœniteat, aspernatur Virgo Deipara. Aleydem Dibboudij Weltij filiam, annos quatuor membrorum vsus defecerat, paralysi corpus hebetante. Progredi eo tempore numquam valuit, donec voto Deiparæ Siluaducensi nuncupato, optatam incedendi vim è vestigio recepit. Tam insignis beneficij, ab animi vecordiâ, parùm memor, recenti Virginis merito ne permota quidem est, vt promissa seruaret. Itaque mox in Dei immortalis iram offensionemque incurrit, sensitque beneficium cæleste agnitum, durare; neglectum, in pœnam vertere. Quippe reuersus illicò morbus, præsentem terrorem incutiens, eam spretæ religionis admonuit. Tum parentes reuerentiâ supremæ Reginæ metuque tacti, vnà cum Aleyde à necessitate consilium petunt, & secundo filiæ voto adiungunt suum. Is resipiscentium dolor, ac pietas clementissimæ Dei Parentis miserationem, velut ad tempus depositam, reuocauit. Aleydi sanitas restaurata est: Deiparæ vota persoluta: Eldenam, vnde aduenerant, reditum: nihil optimâ Virgine clementius esse, compertum. v. Octob.

OTHO-

OTHONIS ZYLII E SOC. IESV

HISTORIÆ MIRACVLORVM B. MARIÆ SILVADVCENSIS

LIBER QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

Complura miracula compendio narrata.



VAE poſt hæc auſpicio Virginis contigêre miracula, ſi quæque ſuis temporibus ac locis reddidero, fortè & narrationis prolixitate, & argumenti ſimilitudine, legentibus tædio ſim. Itaque complura ſimul, ſicut in idem ferè tempus confluunt, in conſpectum dari, haud paullò aptius videri poteſt. Sic neque in Virginem, neque in poſteros iniurioſus habebor, qui illius nimi-
M. CCC. rum beneficia clariſſima horum ſaltem memoriæ an-
LXXXV. numerauero. Antiquiſſimis ſanè litteris teſtatum vi-
M. CCC. LXXXVI. dimus, ſex in diuerſis locis pueros aquâ merſos, ac pe-

nitus

nitus omni vitâ destitutos, votis Deiparæ Siluaducensi pro eorum salute nuncupatis, repentè è mortuorum numero exemptos, ac vitæ redditos esse: neque dona à parentibus vota defuisse. Locos vbi hæc euenerint, memoriæ prodere, nihil attinet. Sed & hominum nomina, locis suis obscuriora, consultò prætereo. Ad hæc tribus locis, totidemque miraculis, captiui ope Virginis è custodiis educti: mulier duodecim, puella tribus annis, ita membrorum obsequio priuatæ, vt ne vestigium quidem promouerent, libero incessu vsæ sunt; cælesti Reginâ eò efficaciùs opitulante, quò simpliciùs tum placabatur. M. CCC. LXXXVI.

CAPVT II.

Pauci, & inermes nautæ, piratas vincunt; Puella è mortis faucibus eripitur.

NOuum & inauditum victoriæ genus, sine armis, sine telo, longè viribus ac numero superiores vincere. Verùm eò plus splendoris obtinent diuinæ Tutricis beneficia, quò minus iis, quos protegendos duxit, præsidij humani adfuerit. Iam medio mari, quibus vel fuga difficilis futura fuerit, felicem pugnæ exitum præstat. Traiiciebant è Belgio in Britanniam, cum sociis octo Guilielmus Ludouicus Dordracenus, atque Henricus Cammakerus Leydanus. Vt velis in altum datis processêre, in piraticum myoparonem incidunt, piratis XL. omnique apparatu bellico in- VIII. Iun.

 stru-

M. CCC. LXXXVI. ſtructiſſimum. Piratæ ſimul ac Batauis propiores facti ſunt, ingenti ſublato clamore, internecionem denuntiant, nî voluntate confeſtim ſe tradere, quàm vim experiri malint. Illi metu exangues deditionem haud abnuunt, modò vita & libertas ſine fraude addicatur. Sed triſte reſponſum redditum eſt, non eſſe pactionibus locum, niſi quas victoris gladius victis imponeret. Eâ re etiam magis conſternati Batauí, quod vnum ſupererat, Siluaducenſem Patronam vnanimi precatione inclamant, votum ſuſcipiunt, dona ſpondent; nihil dubitantes, pro quibus MARIA dimicaret, victores fore. Quibus ſupplicationibus ac votis mota Deipara, pro eorum cauſsâ ſe ſtare mox prodidit. Nauarchus enim propitiatæ iam Diuæ haudquaquam diffiſus, magno animo ſuos hortatur, vt certâ cæleſtis præſidij ſpe ſe muniant, ac prælium ſine trepidatione capeſſant. Ceterùm, cùm vnicus dumtaxat in naui gladius eſſet, ſilicibus, qui non deeſſent, ſtrenuè hoſtem inceſſerent. Factum vti monuerat; ac, demptâ formidine, tantus è veſtigio ardor, tantàque fiducia cunctis iniecta, vt lubentes ac celſi in piratas ſe concitarint. Sic vel inermibus tutela MARIAE armatura eſt. Itaque victoriam partam, non prælium inſtare crederes. Nec tulêre impetum prædones: ac ter conſertâ cominus manu repulſi, queis nullum in fugâ dedecus, terga vertêre. Victores adeò manifeſtam Deiparæ opem experti, ac repetitum inde curſum emenſi, feliciter portum tenuerunt. Guilielmus

mus atque Henricus profecti Siluamducis simul victoriâ gaudentes, simul gratulabundi, votorum se religionibus liberarunt. Eodem quoque die, Siluæducis illustre miraculum (quod Marchianis acciderat) à Gerardo Engelberto narratum est. Filiolam eius Clementiam, fortè humi prostratam, currus obtriuerat, per puellæ corpus delatus. Illa pro mortuâ diu habita erat; cum voto, à parente Virgini Siluaducensi oblato, exurgit illicò, ne vestigium quidem læsionis præ se ferens. Gerardus miraculo æquè attonitus ac lætus, Clementiam tanto beneficio sibi redditam, velut nouam à benignissimâ Matre oblatam sobolem accepit. M CCC. LXXXVI. VIII. Iun.

CAPVT III.

Cæco videndi sensus redit.

VT præstantissimus homini sensus oculorum est, sic eius priuatio tristitiæ plurimum, restitutio gaudij non minus exhibet. Vtrumque expertus est Siluaducensis ciuis, Guilielmus Brunus: qui cùm tres ferè menses morbo conflictatus fuisset, demum ad quinque hebdomadas extinctâ cernendi vi, cæcitatem pertulit. Sic animo quàm corpore haud minùs æger, nocte quadam præsentiâ Dei Matris mirè recreatus est. Ea quippe ciuem suum hortari visa est, vti voto triticum ac vinum, ponderi quod indicabatur respondens, promittat: de suâ ope nihil ambigat; postero die solem visurum. Ille tam præclaram recu- XXV. Iun.

M. CCC. LXXXVI. perandæ ſanitatis occaſionem arripuit libens, & mox Dei Parentem etiam exſpectatione ſuâ faciliorem atque æquiorem ſenſit. Vbi enim diluxit, ſolis iubar in feneſtram immiſſum conſpexit, ac deinceps illæsâ oculorum acie cuncta diſcernere valuit. Atque ille pro nobiliſſimâ corporis receptâ parte, cuius pretium carendo magis quàm fruendo didicerat, cum viginti, partim amicis, partim liberis, in ædiculâ Deiparæ miraculi modum ac magnitudinem, agendis gratiis, muneribuſque dandis, celebrauit.

CAPVT IV.

Quidam ab equo raptus grauiſſimeque afflictus, vltimo periculo ſubducitur.

CErtiſſima periclitantium tutela MARIA, pari felicitate Ioannem Petrum Weertæ ſeruauit. Cùm is fortè equum foras ageret, incautus funem, quo religatus equus duceretur, medio corpori ſuo circumductum aſtrinxerat. Id peſti fuit. Equus enim, velut furore concitus, nequidquam retentantem trahere primùm cœpit, deinde ſolo alliſum raptare. Ad medium milliare, per æqua, per iniqua iactatus, cùm iumentum tandem fatigatum quieuiſſet, duas ibi horas exanimis, accurrenti multitudini vel ſpectaculo vel miſerationi fuit. Inde domum deportatus, ſex omnino dies, cùm dolore interim nullum ferè membrum vacaret, velut mente lapſus, ac nullis reliquis ſenſibus, ſermo-

ſermone abſtinuit. Inter hæc amici ſuppliciter inuocant Siluaducenſem Virginem, eique Ioannis nomine faciunt votum;euentu minimè pœnitendo. Mox enim recepto vocis vſu, ſermonem Ioannes cum aliis conferre inſtitit, miraculo tam euidenti ſtupentibus. Nec iam dolor vltrà infeſtabat artus, coëuntibus etiam ſpontè vulneribus. Ac breuî expeditus omni malo Siluamducis contulit ſe, & cuncta pro ipſo vota præſtitit: quòd vitam retineret, Deiparæ; quòd in gratiam Deiparæ veniſſet, amicis adſcribens. M. CCC. LXXXVI.

CAPVT V.

Gangræna, abſceſſus & phrenitis miſeri hominis tolluntur. M. CCC. LXXXVII. XIV. *Ian.*

PRona ſemper in munificentiam Deipara, quaſi in proximo adſtaret, ſic vltrò ad laborantes aduolat. Et ne inuocata quidem ad Ioannem Steenium illa benefaciendi velocitas properat. Inſulis, Flandrorum emporio celebri, in valetudinario degens, ligneum aculeolum improuidè impegit in digitum. Neglecta, vt fit, paruæ rei curatio, ingenti malo initium dedit. Quippe gangræna ſenſim illapſa per alteram manus partem ſe effudit, cadauerosâ nigritie emorientem. Adhæc, ne ſolus eſſet hic morbus, durior lateris locus in tumorem attolli cœptus eſt, circum quem carnea quoque tunica vetuſtate obduruit. Cumque vehementior ac lancinans incumberet dolor, ſcalpello abſceſſum incidere placuit, & ſubſtantiam alienam erue-

M. CCC. LXXXVII. re. Immissum altè ferrum pænè ad intestina, quæ iam se in conspectum adstantibus dabant, accessit. Ioannes interim acerrimi doloris impatiens, furore, non solùm delirio, vrgeri, sibi aliisque periculum creare, violenter multa designare. Ergo cùm mentis suæ non esset, concludendus ferroque vinciendus fuit. Cùm totos septem menses ita coërcitus teneretur, tandem refractis vi summâ vinculis, foras prosiliit, rectaque ad aquas contendit, in eas præcipitem se missurus. Quò vt peruenit, aspicere visus MARIAM Virginem adstantem sibi, ipse momento discussis, velut diuinâ manu, turbulentis animi motibus, ad pristinum mentis statum rediit. Hic semet, ac periculi, à quo tam propè abfuerat, magnitudinem agnoscens, ad orandum Siluaducensem Virginem se dat: Respiciat propitia multiplices dolores suos. Quid enim superesse, si ipsa defuerit? Acceptæ fuerunt lacrymosæ supplicis preces Deiparæ Virgini: quæ subitò tot eius morbis iniecit manum, & finem imposuit. Vires, vigor, ac ratio simul cum sanitate rediêre. Quæ curatio eò iucundior Steenio accidit, quò maturiùs liberauit. Nec defuit illi grata mens ad exsoluenda promissa. Breuî enim Bruxellâ Siluamducis abiit, beneuolentiam Virginis mirè efferens, quæ ipsum nec opinantem, imò sui impotem, salutari præsentiâ anteuerterat.

CA-

M. CCC. LXXXVII.

CAPVT VI.

Duo mirabiliter vinculis exsoluti.

IAm similitudo miseriæ, series temporis, & par Deiparæ fauor, captiuos duos coniungunt, solo ferè carceris loco disiunctos. Balduinus Petrus Slusanus Loonæ in custodiam datus erat, manuum pedumque digitis vno ferreo vinculo connexis. Semel dumtaxat in die frustum panis, atque vnicus frigidæ haustus, ceteris victus vitæque commodis sublatis, præbebatur. Hoc modo quotidianis ærumnis inediâque confectus, ad meliorem tamen sortem erexit animum, propitiandæ Siluaducensi Deiparæ iam deditum. Quam vbi supplex implorauit, salutari planè somno consopitus fuit, ac postquam euigilauit, solutas vltrò compedes reperit. Supererat tamen discrimen haud modicum, quòd duplex tabulatum (in secundâ enim contignatione asseruabatur) perrumpendum esset. Sed omnia experiri necessitas docuit; præsertim pietate acuente audaciam. Ille enim vtendum animo, dum spe caleret, optimum ratus, exemptis gnauiter tabulis ac tignis, foramen aperuit, ac se in plateam demisit. Neque id conspicatæ tres feminæ fugam eius prodiderunt. Ipse per medias pagi vias ante solis occasum digressus, morante nemine, mox Siluamducis peruenit, haud segnior in soluendo voto futurus, quàm fuerat in emittendo. Neque longiùs dilata est Henrici

Sabbato post Pentecost.

rici

M. CCC. LXXXVII. *Festo die ven. Sacram.* rici Vecchij liberatio, qui septem hebdomadum captiuitate Moenmentæ detinebatur. His sordibus squallidus, ac sui pertæsus, non priùs cum Dei Parente pugnare precibus destitit, quàm venisset in magnam euadendi spem. Vouet igitur, se adscitis comitibus x v. (si saluus inde exierit) aditurum Siluaducense Deiparæ signum, ac ceream compedem consecraturum. Talibus curis intento somnus obrepsit. Et huic se Dei Mater visendam obtulit, in meridianum tempus clauem, quâ se inde explicaret, suppeditaturam addicens. Euentus promisso fecit fidem. Ipso meridie iacentem humi bacillum arripit, compedum fibulas discludit, seque eximit. Inde è custodiâ in aream progressum, vbi præfecti carceris vxor cum domesticis aspexit, cuncti elingues similesque attonitis hæsêre. Henricus, ne minùs gratam MARIAE profectionem suam mora faceret, eam simul cum votis continuò absoluit.

CAPVT VII.

Infans aciculam faucibus infixam egerit.

Octauâ ven. Sacram. BAtauoduri (quod Vltraiectinæ ditionis perantiquum est oppidum) res dictu leuis, miraculi occasio fuit. Theodoro Valerio atque Helenæ coniugibus infans erat, Ioannes nomine; qui in matris sinu iacens, ex eius manicâ detractam aciculam in os & fauces immisit. Hærente ibi doloris causâ (vt ex momentis

mentis paruarum plerumque rerum vita hominum pendet) violentus cruciatus incessit puerum, miserandis indiciis tormenti magnitudinem satis prodentem. Duos dies, vnamque noctem acerba vexatio tenuit, & nec volsellâ prehendi, nec hamo retrò recipi infixus altè aculeus potuit. Neque Ioannis modò, sed etiam parentum ægritudo eminebat, nihil remedij, quo infans alleuaretur, inuenientium. Tantùm mœsti Siluaducense auxilium respicere, & lacrymis precationes miscere; fiduciam denique desperatione potiorem habere. Constituunt igitur solâ veste laneâ instructi, nudisque pedibus incedentes, infantem Siluamducis deferre; vinumque ibi ac triticum, non modico pondere, dedicare. Ardentem pro filij salute parentum precationem lætus Virginis fauor excepit. Ipso illo momento acicula ex faucium, quas insiderat, angustiis per os pueri effusa est, tamquam Deiparæ nutum secuta. Parentum pietas Siluaducensibus deinde, narratione miraculi gaudentibus, ac Deiparæ inprimis gratum spectaculum præbuit. M. CCC. LXXXVII.

CAPVT VIII.

Triginta nautæ piratas trecentos superant.

EAdem tempestate Wolfangus Iacobus, MARIA propugnante, inclytum facinus ausus est. Ab Verâ Zelandiæ oppido profectus, iam per apertum tendebat mare. Nautæ triginta eius naui vehebantur. Post- *Circiter XXII. Iun.*

Rr quam

M. CCC. LXXXVII. quam longiùs processêre, infestus pirata occurrens, tres in eos parones instruxit. Itaque non de mercibus, sed pro salute Zelandis dimicandum fuit. Concursum acriter initio est, & Superis pro meliore stantibus caussâ, latronum impetus egregiâ virtute repulsus est. Rarò aliàs exigua manus tantis animis cum hoste longè potentiore conflixit. Quippe licet trecenti omnino piratæ adessent, deni profectò in singulos pugnaturi; Zelandi tamen, prælio strenuè in totum diem noctemque producto, infracti perdurant. Verùm ne hostium multitudo tandem lassaret suos, Wolfangus in medio pugnæ ardore Siluaducensis Diuæ memor, suppetias ab eâ implorat, suam suorumque salutem in eius collocans victrice manu. Eæ preces quà omen, quà initium victoriæ insignis fuêre. Quippe cælestis militiæ Regina, pro vitâ periclitantium, se furori telisque piratarum obiecisse visa est; & concitati nouâ alacritate Zelandi mox vnam hostium nauim indepti, in potestatem redigunt. Paullò pòst in latus alterius, quæ inhibere se retrò non valebat, tantâ vi inuecti sunt, vt eam depresserint. Eo successu elati, ne tertiam quidem ab se dirimi passi sunt. Nam, confertâ ex propinquo pugnâ, impigrè in eam transgressi, piratas omnes aut ferro cædunt, aut exterritos, præcipitesque deturbant in mare. Ita ex ancipiti spe metuque, tutelâ Deiparæ, magno sibi parto decore, ad secundos ventos referunt vela, & in altum euecti cursum peragunt. Wolfangus victrice inde naue in portum Veranum reue-

reuectus, victoriam auſpice Virgine partam, gratulabundus Siluæducis in publicas tabulas ab ædilibus referri voluit. M. CCC. LXXXVII.

CAPVT IX.

Graue pariter ac longum mulieris tuber diſcuſſum.

EVidens quoque Virginis numen prolapſæ ſanitati mulieris adfuit. Ida mulieri, Guilielmus Hugo marito nomen fuit. Montibus, vti credo, S. Gertrudis (nam id non exprimitur) Idam humor quidam vitioſus præter naturam cumulatus, ipſos XIV. annos exercuit. Prominebat ſubter coſtas nothas collectus in globum tumor, Brabantici, vt tum erant, panis magnitudine. Minuebat corporis vires perpetua pænè vigilia, tubere, in quemcumque ſitum ſe feſſa componeret, adfluente, ac ſoporem vetante. A Medicis quoque fruſtrà petierat opem, pertinaciâ morbi ſuperatis. Itaque inueterato iam vitio liqueſcens vniuerſum corpus hebdomadas quatuordecim lecto tenebatur, tantâ virium defectione, vt ne transferri quidem Ida poſſet, niſi linteis excepta & inuoluta. Tum ſomnium illi, non vtique temerè, quod euentus docuit, oblatum eſt; quo ad adeundam cum quatuor comitibus in veſte laneâ, ſine calceamento, Siluaducenſem ægrorum Præſidem, & vinum ac triticum, certi ponderis, largiendum, admonebatur. Hæc ſi ritè feciſſet, haud dubiè diuturnâ inualetudine leuandam eſſe. Ida, cùm libens immiſſo diuinitus monito pa- XXI. *Iulij.*

M. CCC. LXXXVII. ruiſſet, eiuſdem quoque præſentem fructum retulit. Namque & tumor continuò euanuit, & priſtina ſanitas longo interuallo rediit: quâ benè prompteque vſa mulier, Siluæducis voti liberata eſt.

CAPVT X.

Mulier inſons tormenta ſuperat, ſupplicioque imminenti ſubducitur.

HIs fermè temporibus, circiter Chriſti annum M. CCC. LXXXVII. aut populorum pietatem, aut miracula ſcribentium diligentiam, ſenſim refrixiſſe autumo. Nam MARIANAE beneficentiæ fontem, nuſquam niſi contemptim præteritum, exaruiſſe, ſatis conſtat. Interim vel ex ipsâ miraculorum, præ innumeris pænè ſuperioribus, paucitate, quædam dumtaxat indicabo magis, quàm exponam; non quòd ceteris obſcuriora, aut minùs certa, ſed ſimiliora videantur. Captiuos ergo duos, prætereà puerum crure, virum ſagittæ inſanabili vulnere, puellam genibus aduſque pectus contractis, laborantes, hoc anno; inſequente verò mulierem mente prorſus emotam, virum vinculis nexum, à Deiparâ præclarè adiutos prætereo. Quæ autem deinceps XX. per annos à Virgine miracula patrata ſunt, ferè è memoriâ exceſsêre, nullis vtique litteris conſignata. Ceterùm octauus poſt milleſimum quadringenteſimum Chriſti annus memorabili miraculo inſignitur. M. CCCC. VIII. Mechliniæ pridie feſtæ D.Mar-

D.Martino lucis patrata cædes, ignotus cædis auctor erat. Vbi fama se facinoris diffudit, Maria Moutinolenia (in eam enim suspicio valuit) à lictoribus arripitur, & in vincula ducitur. Innocentia vti plerumque parum tuta, ita tunc etiam infelix fuit. Mox quæstiones haberi, & tormenta admoueri cœpta sunt. Sublatæ in altum feminæ tria maximi ponderis saxa alligantur, quæ distenderent artus. Postquam quinque horas ita pependerat (horribile auditu) prioribus saxis, quæ etiam robusti viri tolerantiam frangere poterant, quartum addere placuit; ad confessionem adhuc tacenti exprimendam. Verùm nec hoc quidem cruciatu adigi mulier potuit ad promenda, quæ non admiserat; innoxiæ constantiâ cum tormentis crescente. Sed nimirum cultrici atque cognomini suæ, aut indolentiam, aut animos doloribus maiores sufficiebat Deipara. Instabat nihilo seciùs iudex, & nouo cruciamenti genere verum extorquere satagebat. Igitur in scamnum exporrectæ tantâ vi os discludunt, vt, dentibus duobus eiectis, viam ruperint immittendis in ventrem aquis. Mirum dictu; irritum quoque illud inceptum fuit, humore nullo trans gulam eunte. Patronam quippe Siluaducensem afflicta mulier, quotiescumque supplicia tortores intenderent, toties quà gemitu, quà voce implorabat. Tum proprætor, Henricus Eyckius, indignabundus, incassùm ab eâ preces mitti asserit, quæ viua numquam Siluamducis, numquam sedem prodigiis inclytam visura sit. Hoc M. CCCC. VIII.

M. CCCC. VIII. illa terrore nihil de constantiâ decedens, ac velut torquentibus securior, Quin, inquit, & ego ibi Deiparam venerabor, & in vestram potestatem, qui cædem fecit, venturus est. Ac vera cecinit. Postridie homicida in carcerem compulsus, ne expectatâ quidem quæstione, semet reum professus, insontem feminam liberauit. Atque ille quidem supplicio publico impium facinus luit, Deum cædis vltorem adesse testatus; hæc autem tormentis ope Virginis exempta, eiusdem sacellum adiit, ac tam religiosè grates MARIAE egit, quàm id facturam certò prædixerat.

CAPVT XI.

Pater cum filio ex incendio euadit.

M. CCCC. XLII. NEc obscura aut dubia fama est, duos in Zelandiâ, haud procul Ermuico, è mediis flammis seruatos esse. Patrifamilias locupleti vnicus erat filius, viduitatis solatium. Quo ne diu frueretur, pænè effectum est repentino incendio, quod tres ipsius contiguas domos, medio ferè inter Pascha & Pentecosten tempore, comprehendit. Luctuosa rerum facies; hinc pater, inde filius, propè nullâ euadendi spe cum flammis luctantes. Et pater quidem in tanto pauore sibi non defuit. Quippe antequam ad viuum, iam vestes lambens flamma, perueniret, nihil moratus, Siluaducensem Liberatricem submissè inclamat, seque vnà periculo eximit. Vix à suis malis respirabat, cùm, versâ mox

mox curâ ad chariſſimam ſui partem, reſpectare filium cœpit. Iamque circumfuſam de eo turbam ſciſcitans, iam nomen illius magnâ mœſtaque voce ingeminans, augebat dolores ſuos; & cùm puer nec appareret, nec vocem redderet, pro deplorato tandem habitus eſt. Interim gliſcebat ignium vis, & trepidi parentis terrorem redintegrabat; non iam præteritum periculum ſuum, ſed præſentem filij fortunam deplorantis. Inops ergo conſilij auxilijque humani, denuò occupat cæleſte præſidium, ac prouolutus in genua, ſacroſancto ſe voto obligat, cuius hanc ſummam accepimus; non ſolùm pedibus, ſed etiam corpore (quoad ſineret pudor) nudato, ſe filiumque ituros Siluamducis; eo in itinere, præter panem & aquam, nihil deguſtaturos; ex argento, auro, vino, tritico donum daturos, pondere notabili. His dictis, illicò puer ex ignibus illæſus planeque incolumis prodiit, & in lætiſſimum parentis complexum receptus eſt. Dubitare ſpectatores poterant, vter plus amaret hunc filium, an MARIA, an pater: hic ſiquidem ex incendio ereptum voluit; illa eripuit. Ceterùm expletis gratulationibus, pater filium cum duobus famulis, traiectis Zelandiæ æſtuariis, Siluamducis vſque comitatus eſt, ad vota ritè diſſoluenda.

M. CCCC. XLII.

CA-

CAPVT XII.

Naufragus vitam seruat.

M. CCCC. XLIII. ATque illis quidem ignis abstinuit, arcente Deiparâ; nunc, vt aquarum violentia eiusdem virtuti cesserit, referendum. Neoportuensis quidam ciuis è Flandriâ (nomen non editur) cum vxore in Venetam ditionem concesserat, ac tabernâ ibi meritoriâ per XVII. annos aperiendâ, satis lautum (vt ex istiusmodi stipe) quæstum fecerat. Otio igitur, & partis opibus inter propinquos (tanta est patriæ dulcedo) fruituri, Flandriam cogitant, & longinquo itineri necessaria parant. Coëmpta primùm oneraria, tum conducti nautæ; domestici, & quæ rerum transferri commodè poterant, in nauem compositæ. Destinato profectioni die conscendunt, & prospero primùm cursu in altum vectos infelix deinde nauigatio excepit. Nam ventus, initio prosper, haud procul eos littore amouerat, mox diram tempestatem daturus; cùm procellâ mistus imber vndique nauem incessit. Tum verò horribili fragore cælum strepere, mare accensum vi turbinum exasperari: nautæ nequidquam contrà eniti: ad alienam opem quisque inops tendere. Iamque quassata nauis latera patebant fluctibus, quando vltimum malorum sensêre, carinam ingenti hiatu diductam. Itaque pro desperatâ res erat, nautis etiam à tanto metu in scapham elapsis. Atque hos quidem

æquè

æquè pertinax ac durus labor demùm littori reddidit. Ceterorum longè tristior fuit sors, in naui iamiamque subsidente fluctuantium. Erant omnino nouem, qui alternis extantes, mersique, & crebro armamentorum incussu lacerati, tandem omnes, præter cauponem, aquarum vi obruti extinguuntur. Vnus ille, in tantâ vndarum ac ventorum luctâ, Siluaducensem Virginem memoriâ retinens, precibus ad eam fundendis se tueri non desinit. Precibus votum subiungit, cereæ nauis ad Siluaducensem eius aram statuendæ. Atque illicò manifesta voti virtus fuit. Fluctuanti satis magna tabula, haudquaquam temerè, se obtulit, quâ sustentatus, cùm ante oculos vxorem coràm pereuntem cernere non sustineret, ad cælum versus, Ne siueris, inquit, clementissima miserorum consolatrix, vt hisce oculis coniugis omnisque familiæ tam acerbam mortem aspiciam. Auerte hæc lumina à funesto spectaculo; ne morientes videam, quos vel sic viuos vidisse horrori est. si annueris, argenteos duos oculos ex voto debiturus sum tibi. Has item preces mox audiit Virgo propitia, & ne quem suorum inposterum paterfamilias in conspectu suo intereuntem spectaret, effecit. Neque ipsum intereà adhuc tabulæ innatantem deseruit. Quoties enim ille attollentibus se vehementer vndis, ac rursus ad imum præcipitatis profundo hauriebatur, toties præsentem sibi Diuam agnouit; nunc tabulam dextrâ dirigentem, nunc magno velut nisu eius conatibus ferentem auxilium. M. CCCC. XLIII.

M. CCCC. XLIII. lium. Species Virginis illi persimilis, quam Siluæducis olim conspexerat, visebatur. Postquam eâ iactatione, haud semel opertus salo, spumantique æstu in diuersa actus fuisset, conspicati hominem piscatores, directâ eò scaphâ, excipiunt, atque in littus exponunt. Ibi pro mortuo habitum derelinquunt, cursu denuò ad legendas naufragij reliquias, vbi dissoluta sedebat nauis, intento. Conquisitis quæ supernatauerant, in littus reuecti, semianimem in oppidum proximum, indicio Magistratibus facto, deferri curant. Ille diu nec vbi requiesceret, nec à quibus eò delatus esset, agnouit. Nam torpentibus gelu neruis, vix lassos artus mouere poterat. Tandem omni ope ad excutiendum rigorem adhibitâ, & facto maximè igne reuocatus vitalis calor, paullatim illi spiritum ac motum indidit. Inde sumpto spatio, quod ad curandum corpus necessarium erat, vbi se itinerum laboribus parem sensit, alacer corpore animoque in Belgium processit. Siluæducis autem (nam hic viæ terminus fuit) non solùm ipsemet calamitates suas, ac Deiparæ in se beneficia exposuit; verùm etiam totam rei gestæ seriem ab Episcopo vrbis, quæ exanimem refouerat, litteris consignatam ostendit; quibus Episcopus ille narrationis veritatem ac fidem suâ quoque affirmatione corroborabat. Inde gratiæ Virgini impensè habitæ sunt. In tantâ tamen aduersus Deiparam fiduciâ angustus naufragi animus, angusta pietas censeri potuit; qui suam modò vnius, domesticorum verò, ac præsertim

tim coniugis vitam à benignissimâ Adiutrice non M CCCC.
postulauit. MARIA enim non locupletior bonorum XLIII.
copiis, quàm propensior ad largitiones, plerumque etiam summa petentibus summa tribuit. Sed illum perturbationis magnitudo, & circumstantium malorum atrocitas non siuerunt consilium in tot curas diuidere, propriorum periculorũ depulsioni vix parem.

CAPVT XIII.

Colonus ex prædonum manibus post multa pericula elabitur.

MAritimo naufragi periculo haud absimile alte- M. CCCC.
rius terrestre discrimen fuit, in quod infesto- XLV.
rum hominum sæuitiâ, non multùm clementiore pro- XXIII. *Iul.*
cellis insani maris, impulsus fuit. Kessela, Brabantiæ pagus Mosæ amni adiacet, haud procul exiguis insulis, quas Vahalis & Mosa intersecant, in arctum coëuntes, angustumque inter se relinquentes terræ spatium. Huc silentio noctis (quæ festum B. Mariæ Magdalenæ diem antecedebat) progressi hostes (Geldros fuisse multa faciunt fidem) in Rutgeri Couwij domum irrumpunt: ipsum in lecto obtruncant: consanguineo mortiferam plagam imponunt: Thomam, eiusdem fratrem, abripiunt. Nec repelli vis potuit, cùm facilè XIV. armati paucioribus incautis ac perculsis instarent. Mox transmisso Mosâ, Thomam quà funibus, quà ferreâ fibulâ, vtrumque pollicem stringente vinciunt, ac per tenebras ad Vahalim flumen

M. CCCC. XLV. infra Rossemium (is quoque pagus est) pertrahunt. Inde præparatâ antè cymbâ in aduersam ripam euecti, vinctum equo imponunt, pedibus subter iumenti ventrem religatis. Ipsi quoque conscensis, quos ibi reliquerant, equis, per deuia ac transuersos calles, ad obscurandam viarum memoriam, captiuum multis verberibus præ se agentes, ad vlteriorem regionem iter intendunt. Aliquot millia emensi, circiter vltimam noctis vigiliam in salictum deueniunt. Hîc sumpto ad quietem spatio, datus quoque sermoni locus, ac de redemptione tractatum. Illi tria florenorum millia minitando exigère; captiuus rem ad amicos reiicere, ex quorum vtique arbitrio penderet. Cùm intereà lucesceret, repetito itinere in modicum pagum, propter quem propinqua arx erat, peruentum, ac rursum de ingenti pecuniâ pendendâ disceptatum est. Inter hæc cum tergiuersante in horreum succedunt, eius tabulationem subire, abluere atque alligare vulnera, in lecto cubare & acquiescere, custode addito, iubent. Ceteris quod XIV. ferè milliarium restaret iter, ad corpora somno curanda versis, qui vinctum obseruabat etiam sopori succubuit. Thomas illorum somnum suam fore occasionem ratus, suppliciter à Siluaducensi Virgine opem petit, ac mox, velut eam accepisset, nouâ spe calens, strenuè alterum pollicem ferro expedit, integrum atque illæsum. Tum vtcumque liberâ manu vincula pedibus demit, ac suspenso gradu descendit in vacuam domum; inde in aream

aream progreſſo ſit obuius aliquis, quem ab hoſtibus M. CCCC. XLV.
Domini vocabulo honoratum audierat. Ab illo (mirum) ne agnitus quidem in plateam ſe trepidus eiicit, nulloque iam inſequente, quàm citatiſſimâ poteſt fugâ, in dumetum proximum condit ſeſe. Vix eâ latebrâ ſe texerat, cùm vehementer eum exterruit præceps equitum curſus, per totam circà regionem citatis equis volitantium. Denuò igitur MARIAM periculorum comitem obſecrat, ne ſe in tantis anguſtiis conſilij impotem perire ſinat. Iis precibus non promptius quàm tutius conſilium adfuit, inuertendæ nimirum penulæ, cuius intima albi coloris, extrinſecùs panno in rubrum vergente tegebantur. Solutis itaque nodis illâ quâ poterat manu (nam etiam tum alteram æquè ac brachia religatam habebat) penula in humeros reiecta cum vinculis vltrò decidit. Atque ille verſo mox amiculo, cùm nemo circà appareret, iterùm fugæ ſe dedit. Sed iam ſatis magnum ſpatium emenſo (& propè aberat flumen fugam prohibens) haud leuior priſtino terror ingruit. Accurrunt de priore hoſtium numero equites tres explorabundi, ſi qua fortuna profugum redderet. Quos vt agnouit, ad flumen verſus, expedito ibi reperto lintre, raptim traiicit, adhuc perſequentibus ignotus. Poſt aliquantum progreſſus, actis Deiparæ gratiis, rurſum in duos incidit ipſum venantes. Verùm mutatâ, vt erat, veſte minimè agnitus, in auenam adultam abiectus latuit. Qui metus vbi tranſiit, patentem latè campum Tho-

M. CCCC. XLV. mas ingreditur, oculosque circumferens, & notitiam loci nactus (Nouiomagum enim propè aberat) ad stationem, à fluminis traiectu olim sibi cognitam, rectà contendit. Nec istud iter terrore, licet vano, caruit, equitem, sed non infestum, haud longè ostentans. Exinde propior, toties pauefacto, admota spes. Descendebant secundo amne viri quatuor nauiculâ ripam legentes: in quâ ripâ quintus obambulabat pedes. Horum vnus fortè in sex armatos paullò antè inciderat, fugientis vestigia secutos, ac tam opimam prædam (è quâ sibi tria facilè millia florenorum desponderant) è manibus modò elapsam indignantes. Id cùm sociis enarraret, Felicem, inquiunt, virum, si, fortunantibus Superis, nostrâ operâ è prædonum manibus, summoque discrimine possit eripi. Hæc loquentibus Thomas interuenit, consternatione attonitus: quem intuiti & rati, id quod erat, ipsum adesse, qui toties hostium insidias elusisset, vbi aliò trepidum abire senserunt, benignè reuocatum appellant. Ille vnde præsidium affulgebat, inde noxam veritus, ac plus de effugio, quàm de responso sollicitus, etsi blandè rogaretur, an captus vinctusque fuerit, an fugâ salutem adeptus, non vocem, non salutem reddidit. Eò magis hominem miserati aduenæ, communi consensu in nauiculam inuitant. Verùm fugitiuus se captari existimans, ac fauorem nec opinatum, aut insidias, aut ludibrium interpretatus, Ne rursum, inquit, vinciar, quantamcumque postulatis pecuniam addico. Tum illi

illi maiorem amicitiam professi, dant fidem, cum incolumem Siluamducis perductum iri, sua etiam capita pro ipsius salute deuouentes. Ita hæsitans comiter in cymbam pertrahitur, etiam atque etiam admonitus, occupandam esse fugam, quòd hostis intra secundum teli iactum toties quæsito immineret. Ecce autem aliud ex alio discrimen. In ipso Vahalis transitu, cùm, vt eius amnis periti, satis latebroso loco traiicerent, adeò fœda tempestas cymbam corripuit, vt præcedentium casuum terrorem pęnè superârit. Inter horrendos cæli fragores crebri micare ignes, & cadentia circùm fulmina perniciem minari. Iamq; internitente luce, iam conditâ, permisti turbinibus imbres in ora nauigantium ferri: capti auribus & oculis, pauore omnes exanimari. Inter hæc in littus enisi exsiliunt, cymbam in terram attrahunt, in eaque reliquo diei spatio, dum aduesperasceret, vnum Couwium, ne conspici posset, procumbentem relinquunt. Primis tenebris, fatigatum tanto labore, in cauponam transuehunt, vbi & cibum per otium capere, & somno operam dare licuit. Orto sole Nouiomagum abitum est, inde Megam peruentum. Huc postquam amicos Thomas acciuit, ac fautoribus, quos in tali temporis articulo prouidentia diuina submiserat, gratias egit, cum suis protinus Siluamducis iter arripuit, votisque persolutis, funes & ferream fibulam quibus vinctus fuerat, ibi ceu testes reliquit; quò frequentius periculum adierat, hoc præsentius Deiparæ auxilium prædicans. M. CCCC. XLV.

CA-

M. CCCC. L.

CAPVT XIV.

Quidam asperâ custodiâ exemptus.

PAucis post annis (nam M. CCCC. L. post Christum natum agebatur) etsi rarescentibus iam tum miraculis, peruagata tamen remotiores regiones beneficiorum cælestium fama, ex Holsatiâ hominem ad exposcendum Virginis præsidium, eiusque ædiculam visendum, exciuit. Mathias Wolfius erat, ab Senatu Hamburgensi campanis æneisque tormentis fundendis præfectus, artis nondum satis tum vulgatæ gnarus in paucis. In Rauensbergensi regione Limburgiam arcem, duobus ab Mindâ vrbe millibus, tenebat Arnoldus Hoerdenus, nobilitate armisque potens vir. Ab hoc paullò ante natales Christi Ferias Mathias exceptus est, atque in custodiam datus, iniectis tam crudeliter vinculis, vt summum læui pollicis articulum demerent. Adhæc cippo, viris facilè quinque & viginti coërcendis idoneo, impositus. Semel dumtaxat in die pane & aquâ reficiebatur, ad exprimendam eâ sæuitiâ maiorem, quàm pro eius fortunâ, pecuniæ vim: hostibus non tam censum eius, quo tenui erat, quàm artem, eâ maximè tempestate quæstuosam, immodicâ æstimatione pensantibus. Ergo & preces eius, & summam pecuniæ, quantam promitti æquum esset, auersati; atrocibus responsis satis consilium suum præferebant. Wolfius desperatâ hominum mise-

misericordiâ, cælestium clementiam, haud paullò faciliorem, tentare statuit. Circumfert itaque vota ac preces; & quicumque succurrebat inclytus prodigiis locus, eius præsidem ac tutelarem supplex implorat. Sed dilatæ spei lætum exitum, Siluaducensis Adiutricis gloriæ, prouidum æternæ mentis Numen seruabat. Etenim Mathias, satis memor auditæ olim de matre suâ Siluaducensium miraculorum celebritatis, non vanum sibi inde præsidium spondere cœpit. Octauus fortè dies aderat ante D. Ioannis Baptistæ natalem (tanta in duro carcere mora fuit) cùm albescente primùm cælo MARIAM, prænuntiam veri solis auroram, lacrymabundus respexit. Sed & votum concipit, seruatu quidem arduum, sed præsenti fortunæ congruum, quotannis, dum vita sineret, Siluamducis religiosè excurrendi. Nec incassùm votum cecidit. Illicò feræ tres, quibus & cippus ille immanis, & vectis eumdem comprimens, & pedicæ claudebantur, vltrò apertæ sunt; Mathiâ lætitiis attonito, ac Deiparæ grates reddente. Sed hæc lætitia ingressu custodis, summo manè, vt fit, claustra lustraturi, in metum vertit. Quocircà Mathias veritus, ne visis patentibus seris custodiam inspector intenderet, saltem pedicas denuò obserat, cetera stramentis, queis incubuerat, contegit. Actum erat, nisi præsens Virginis tutela, vigilantiam præfecti retudisset. Ille enim solito remissior, ne inspectis quidem seris, velut ad alia properans, egreditur; rogasse dumtaxat, vt haberent

M. CCCC. L.

Tt Wolfij

M.CCCC. L. Wolfij tibiæ, & maioris pendendæ pecuniæ mentionem obiecisse contentus. Tum propior metu spes esse cœpit. Eo enim digresso, captiuus satis gnarus intra horas XII. non rediturum, ad MARIAM paullò antè propitiam iterat preces. Ac ne dubia foret vis cælestis subsidij, repentè sera, quam clauserat, concrepuit atque aperta est. Tum sicco osse bubulo, quod humi iacebat, in cippum, quà ille coïret, inserto, eum tantisper alleuat, dum pedes subducit. Id verò laboris velut de integro initium fuit. Sed nihil obsistit fauori Deiparæ. Iam enim solutus, amiculo, vestibus, ipsoque adeò indusio (nimirum pro libertate) corpus exuit, eaque dissecta in funem producit, quo ex murorum pinnis religato, pedicaque collo circumdatâ, in fossam haud altam se demittit. Eâ facilè superatâ, omni amictu nudatus, vti erat, fugâ occupat proximum nemus. Tres ibi dies, totidemque noctes sine cibo potuque traductæ. Quarto die, cùm & torqueret fames, & sitis magis ferè desperatione quàm desiderio bibendi vreret, aquam pluuiam humi stagnantem offendens, eo humore hausto vtcumque repressit sitim. In hac omnis humanæ opis solitudine destitutus Wolfius, quidquid miseriarum ingruere potest, expertus est; penuriam, frigus, ærumnas, nuditatem. Quinta demum lux haud paullò lætior, ædificium aliquod ostendit. Huc progressus, ac viam Siluaducensem inquirens, durum nigri panis frustum accepit, viamque edoctus est. Sed mandere panem conanti

nanti maxillæ, desuetudine edendi peruersæ, haudquaquam obsequebantur. Tandem ad cultiora deueniens, aurigas reperit, qui præterita incommoda ac Diuæ beneficia recensentem, ciboque & potione refectum, Cliuos deuehunt. Exin Siluamducis perrectum: vbi interpositâ iurisiurandi fide tot suos labores, à Deiparâ, dulci solatiorum vice pensatos, exposuit; & pedicam miraculi indicem, quo die Elisabetham visitantis MARIAE solemne agitabatur, ex eiusdem altari suspendit. M. CCCC. L.

CAPVT XV.

Dona varij generis oblata Deiparæ.

NVnc annorum ferè LXX. silentium, incuriam eorum condemnat, quibus aut miracula scribendi cura, aut conscripta custodiendi credita fuit. Tot certè labentibus annis non stetisse cursum miraculorum, frequentia interim dona, Deiparæ dedicata, indicio sunt. Quamquam minore longè studio, qui illustria quædam munera Virgini consecrarunt, quàm qui eiusdem beneficiis aucti sunt, in Ephemerides (vnde hæc miracula deprompsimus) relatos comperio. Quòd si par saltem esset donorum ac miraculorum memoria, equidem donantium honori hanc seu temporum seu scriptorum iniuriam libenter detraherem. Nunc pauca de muneribus, quæ notitiæ nostræ vetustas subducere non potuit, æstimationi posterorum elabi non sinam. Circiter annum à

M. CCCC. LXXXII. partu ſuo M. CCCC. LXXXII. complurium donariorum Deipara heres facta eſt. Nummorum erat ingens numerus, cum annulis pretij haud vulgaris. Zona affabrè ex argento expreſſa eminebat inter cingula, è byſſo verſicolore contexta, atque argenteis bullis illuſa. Adhæc pateras ſacrauerant multo auro argentoque diſtinctas. Seruatij quoque Siluaducenſis Medici mors ac pietas ſacelli ſplendorem adauxit. Is quippe ex aſſe Deiparam heredem inſtituit; ſatis vtique gnarus, ingratam non fore. Acceſſit holoſerica veſtis à Florentio Heermanno, ornandæ Virgini, teſtamento legata. Item alterum amiculum pretioſum à muliere dedicatum. His corallina anademata, intercurrentibus globulis aureis nitentia; his gemmæ, variâ magnitudine ac decore, adiectæ ſunt. Viſuntur prætereà tunicæ & materiâ & opere maximè inſignes. Vnam è rubrâ byſſo argenteæ lamellę inter ſe corruentes percurrunt, velut errantibus temerè ſtellis nitentem. Inter has exſurgit eximiæ magnitudinis arbor, eleuatas opere Phrygio frondes per planitiem latè porrigens. Truncum & ramorum clauiculos, pretioſâ luxurie diffuſos, ſplendidus ambit cortex, perpetuâ denſaque margaritarum ſerie turgens. Raròaliàs vnum in opus tot ſimul margaritas opulentia contulit. Imum tunicæ limbum penſiles ex argento inaurato bracteæ circumeunt, quernis foliis haud abſimiles. Infantis quoque IESV effigiem ſua tunica adornat, à materno amiculo ſolâ magnitudine diſſidens. Altera Deiparæ tu-

nica

nica Principis feminæ donum eſt, ex textili aureo, inſignia Auſtriaca Mediolanenſibus iuncta oſtentans. Ceteras veſtes magis vulgus quàm periti mirantur. Creſcentibus interim donis, etiam ſtatuæ habitus innouatus eſt, auroque & pigmentis nitidioribus adornatus. Neque is donorum finis fuit. Argenteæ precantium corollæ, & plures crumenæ, auro gemmiſque lucentes, reliquorum monilium opulentiam cumulauêre. Periſcelides, torques, numiſmata, textilia egregij operis vela tanto numero allata ſunt, vt diuendere ſatius fuerit quàm ſeruare. Ad reliquum ornatum cuſtodiendum matura è Beghinarum cœtu Virgo deligitur. Ceterùm ne ſplendidior eſſet quàm religioſior ædiculæ cultus, iam olim à Ioanne Binnincko, eiuſque coniuge, Deiparæ Virgini eximiè deditis, curatum eſt. Ab his perpetuum ſtipendium conſtitutum, Sacerdoti bis quot hebdomadis ſtato die ad Virginis honorem ac laudem ibi Sacrum facturo. Quamquam autem hæc Siluaducenſium largitas ad tempus non vnum pertineat; credidi tamen iucundius fore, quæ huc ſpectarent, ſimul in conſpectum dari omnia: nobis certè commodius fuit. Verùm ad exponenda porrò miracula reuertamur. M. CCCC. LXXXII.

CAPVT XVI.

Claudus ingrediendi vim recuperat.

M. D.XIX. GRatiſſima ſemper miſeris lætitia eſt; præſertim cùm ad cæleſtium beneuolentiam referri poteſt. Eò ſanè cupidiùs arripitur, quò ab humanâ ſpe longiùs aberat. Ita Iudocus Euerardus oblatum cælitus gaudium pluris fecit, quia & naturâ ſublimius,& opinione citius adeſſe viſum eſt. Quippe momento, pedum vſu donatus eſt, largiente Deiparâ. Teſtantur id ſuis chirographis Sacerdotes tres, Henricus Marenſis Vdenæ Curio, Andreas Perſonius Erpæ Vicarius, atque Andreas Broeckhouius, miraculi, quod prodimus, ſatis gnari. Iudocus Euerardus annos XX. natus, circiter biennium pedum obſequio caruerat, adminiculis ligneis ægrè moliens greſſum. Ne ad annuam quidem Communionem ſacram ſecundò acceſſerat, niſi curru prouectus. Cùm humanæ opis pridem nihil affulgeret, Curionis & complurium Sacerdotum hortatu, pridie natalis B. MARIAE, eam ſe Siluæducis veneraturum promittit, fiduciæ plenus. Et profuerunt auditæ à Deiparâ preces. Cùm enim improuiſam lateris compreſſionem atque impulſum ſenſiſſet, è veſtigio rectus conſtitit, & ſine ſcipione inceſſit, qui biennio claudus fuerat. Miraculum Vdenæ (pars eſt Rauenſteyniæ ditionis) ac Siluæducis ab Iudoco vulgatum, ac tam à Canonicorum collegio,

quàm

quàm ab Senatu ſedulò examinatum, fidem inuenit. M.D.XIX.
Ædiles ſolemni Sacro procurato, MARIAE laudes perſoluerunt; campanarum quoque omnium feſto plauſu eidem Virgini additus honos.

CAPVT XVII.

Vitioſus adoleſcentis pes emendatur.

LOngioris etiam mali æquè facilis curatio fuit, præſtante Deiparâ; quæ nullius vmquam neceſſitati rogata defuit. Guilielmo Deylio annorum XIII. adoleſcenti, inde à primâ ætate pes fuit fœdè peruerſus. Vitium (vt innata pleraque) inſanabile, etiam tempus confirmauerat. Amici nihilo ſeciùs Siluaducenſem Diuam, cuius beneficia nullis temporum ſpatiis metienda ſint, inuocandam cenſuerunt, freti non vanâ ſpe optati euentus. Admonent itaque tum filium, tum matrem Eliſabetham, vt B. MARIAE miſericordiam ad memoriam redigentes, ei faciant votum. Quod conſilium non conuenientius Guilielmi neceſſitati, quàm exitu felicius fuit. Etenim monitis adoleſcens paruit: confeſtim diſtortus pes, oſſibus in debitas ſedes redactis, concinnum habitum recepit, & mox non ad inſiſtendum tantummodò, ſed etiam ad incedendum decorè idoneus fuit, Deiparâ tam promptam curationẽ adferente. Hunc pietatis fructum cum filio mater tulit, ac dedicato Siluæducis diſtorti pedis ſigillo cereo, Someram adiacentẽ Tilę pagum repetiit. XII. Nou.

CA-

CAPVT XVIII.

Defuncta mulier vitæ restituitur.

M.D.XX. VI. *Iul.* SVb hæc renouatum est Deiparæ in ipsam mortem imperium. Worcomio atque Ryswicâ Siluaînducis aduenêre mulieres duæ, Adriana Arnoldi Damij, atque Ziburga Ioannis Hugonis vxor. Illa correpta peste de vitâ exierat, caloris & spiritus iamdudum expers. Nam & loculus, quo efferretur, coëmptus erat; & humus, quâ conderetur, effossa. Sed vnius amicitiæ potentissimo vinculo retenta est, ne vltimam mortem occumberet. Ziburga magis vitæ eius quàm fortunæ amica, Adrianam admodum charam habuit, & amorem viuenti redditum in mortuam extendit. Neque tamen ad muliebria lamenta, & nil profuturos vlulatus, se vertit insanus dolor; sed inde subsidium, vnde non frustrà speraretur, expetiit. Deiparam enim Siluaducensem, cuius potentiæ nihil difficile esset, voto pro se, proque defunctâ emisso, propitiat; & cum rediuiuâ, si daretur, peregrinationem sacram ab se susceptum iri, addicit. Virgo simul precibus, simul charitate mulieris delectata, eam voti compotem fecit. Res mira visu. Extincta mox spiritum, & vim vitalem per omne corpus pertinentem recepit. Vires paullatim accessêre. Vtraque deinceps tam iucundo amicitiæ veræ fructu lætissima, excalceata, & laneo dumtaxat amictu indu-

induta, votum Siluæducis impleuit. Affirmatio narratæ rei, religiosissimâ ab iisdem fide sancita est. M. D. XX.

CAPVT XIX.

A Siluaducensi ciue concepta pestis auertitur.

HAc quoque tempestate magis famâ & sermonibus, quàm litteris inclaruisse frequentia Deiparæ miracula comperio. Vt plurimùm enim quæ omnibus nota sunt, conscribit nemo. Quasi verò cæca posteritas diuinare possit, quid maiores viderint. Nunc iterùm parca in scribendo vetustas Arnoldum Petrum, peste vexatum, ad Deiparam confugisse tradit, multitudine scilicet euidentiaque miraculorum, quibus passim Diuæ nomen celebrabatur, adductum. Sic beneficium vni impensum exactè ac plenè referens, cetera transilit, ac velut per transennam exhibita, compendioso indicio attigisse contenta est. Sed ea tandem incuria etiam sterilitatem miraculorum attulit. Arnoldus ille, ciuis fuit Siluaducensis, scriniorum opifex, Orthensis vici incola, quem morbus anceps, plenusque discriminis, pænè in præcipitem interitum impulit. Pestifera febris non modò vehementi pernicie membra, sed etiam veneno cor obsederat. Mox vires omnes, præsertimque vitales, concidere, appetentia deiici, inexhausta sitis vrere, interiorum vehemens incendium vrgere cœpit. Neque diu incomitata malignitas, torridum carbunculum prompsit, in in- Iulio.

 guina

[illegible] mentem. Sed multiplicatus discrimi-
[illegible] salubris consilij occasio exstitit. Ar-
[illegible] consideratis tot prodigiis, quæ non alibi
[illegible] quàm in vrbe suâ mortalium bono Diua ede-
[illegible] solatij lenimen captare instituit, vnde tanta
[illegible] rum vbertas manaret. Vt ergo supplex Ma-
[illegible] obtulit preces, ac donum spopondit, repentè
[illegible] abstersa pestis omne virus amisit; Arnoldo æquè viribus reddito, ac si ne afflatus quidem morbo fuisset. Tumores cum ceteris corporis inquinamentis euanuêre. Itaque sanus ædiculam Deiparæ adiit, ac monile, prout res opifici haud opulentæ erant, non spernendum, dono dedit; cumque vniuersâ familiâ lætabundâ, quàm benè de se merita esset MARIA, ad obuios quosque gaudio cum ipso certantes, prodidit.

CAPVT XX.

Captiuus se carceri eripit liberante Deiparâ.

xix. Sept. DIuinorum Virginis operum non minima quoque pars fuit, Ioannis Iacobi Keyserij, Rodâ pago, D. Odæ nomen ferente, oriundi, liberatio. Is vinctus pertractus fuit in castellum Tornense, supra Neomagum Vahali amni adiacens. Possessorem eius tum arcis Ioachimum Wyum ferunt, Hernensem Dynastam, ac Neomagensis imperij Procomitem. Huc cùm aduersa fortuna Keyserium compulisset, iniectis in manus pedesque vinculis squalebat miser, de capite fortu-

fortunisque periculum metuens. Adeò nulla inimicos pœnarum satietas mitigabat. Ceterùm Ioannes in eo rerum suarum discrimine vindicias à Siluaducensi Deiparâ sperare ausus, ab eâ non minus animorum sibi ad eruptionem cogitandam, quàm virium ad faciendam, sensit immitti. Nam simul ac Virginis implorauit fidem, seque omni, quoad viueret, sabbato nihil præter cereuisiam ac panem degustaturum vouit, increscens repentè fiducia in summam totius profecit spei. Iamque satis collectum animorum erat; cùm manifesto prodigio aucta est Ioannis alacritas. Soluente Virgine, bona vinculorum pars, ac præcipuè pedicæ vltrò delapsæ, magno ad effringendam quoque custodiam incitamento fuêre. Exigua erat fenestra, quâ lumen carcer accipiebat. Inde extracto vitro, foramen, licet in arctum coïens, ad descensionem tamen patuit, atque elabenti Keyserio transitum præbuit. Ita corpore è fenestrâ in subiectam fossam demisso, ex parte etiamnum vinculis adstrictus, & custodes frustratus, aduersam oram natando petit. Quò eluctatus, cùm duæ insuper præcipuâ altitudine fossæ residuæ superandæ essent, denuò plus spei in Deiparæ auxilio quàm metus in suâ fortunâ reposuit. Itaque nouo impetu capto in aquas desiliit, & vtramque fossam tranauit incolumis; rem ausus Deiparæ magis ope quàm virtute suâ. Grata erga tantam Virginis beneficentiam Keyserij pietas fuit. Nihil enim antiquius habuit, quàm, omissis aliis curis, Siluamducis M. D. XX.

Vv 2 con-

M. D. XX. contendere, & vincula, quæ nondum ruperat, propitiæ Liberatrici repræſentare. Arreptam xv. Kal. Oct. libertatem xii. ante eaſdem Kal. Siluæducis MARIAE acceptam retulit. Teſtes cum Sacerdotibus non paucis, digni fide complures viri feminæque adfuêre.

CAPVT XXI.

Duobus calculis puer leuatur.

Septembri. QVamquam plures in hominem morbi irruunt, quàm membra habeat; remedia tamen, quæ penes Matrem Deus eſſe voluit, & morborum vim potentiâ, & numerum copiâ antecedunt. Nunc puero calculorum doloribus cruciato medicinam exhibet, æquè gratuitam ac promptam. Filium habebat Henricus Guilielmus, atque Hildegondis, Nulanti pagi incolæ, circiter x. natum annos, Paulum nomine. Is pænè quinquennium ferocis mali tormento dilaceratus fuerat, etiam poſt adhibita medicamenta pertenui, aut nullo fructu valetudinis melioris. Etſi enim aliquid in ætate ſpei erat, vix quidquam tamen in adiumentis Medicorum fuit. Tantum vitij ſuberat, vt ad extremum neque vinci neque trahi poſſe videretur, quò minùs interpoſito aliquo ſpatio interimeret. Temeraria quoque, mutatis ſubinde Medicis, curatio nihil profecerat, vnoquoque in obſcurâ humilique perſonâ induſtriam ſuam haud ægrè periclitante. Iam toties vltima experti parentes, cæleſtibus remediis

vti

vti constituunt. Primùm S. Cruci Cranenburgensi, dein prodigioso Christi Sanguini Boxtellano, denique Deiparæ Elschotiæ votiuam pro salute filij peregrinationem spondent. Sed inde cum spe magis (Numine opem differente) quàm cum præsenti auxilio dimissi sunt. Itaque non penitus incassùm fusas preces aliò verti oportuit. Ergo opportunè ab leuiro suo Ioanne Euerardo admoniti sunt, ad propinquum & commune Siluaducensis Virginis perfugium preces adhibeant; ita fore, vt à Deo Diuaque quidquid poscerent, impetrarent. Innumerabilium vtique donorum Largitricem, quæ, quod constaret, plerosque ipsorum vicinos beneficiis ingentibus beasset, ipsis quoque patentem gratiæ portam non clausuram. Id monitum æquè conueniens necessitati, atque euentu prosperum fuit. Illicò nuncupant pro filio votum, quod probauit Deipara. Paulus enim facili nisu duobus calculis benè magnis exoneratus est; quos mirabundi propinqui, Diuæque gratulantes, aspexêre. Henricus cum vxore filioque Siluæducis rem affirmarunt, complurium testium auctoritate compertam. M. D. XX.

CAPVT XXII.

Mulier è graui ac diuturnâ læsione conualescit.

ETiam sera pietas Virgini placuit in muliere Silua- M. D. XXI.
ducensi, haud acerbiùs quàm diutiùs afflictatâ. VI. *Maij.*
Gertrudi Boertgeniæ nomen fuit. Illa præcipiti lapsu

M.D.XXI. è ſcalâ corruens, præter crus luxatum, duas inſuper coſtas & brachium confregerat. Ex eo hæſit membris omnibus, præſertim lumbis, continuus dolor, ac vires tam imbecillæ, vt veſtem neque induere ſibi, neque detrahere Gertrudis valeret. Liberorum miniſterio in lectum inferebatur; inde ſine eâdem ope non diſcedebat: vbi inceſſu opus erat, adminiculo ligneo fulciebat artus, ob ingentem moleſtiam detrectantes conſueta obſequia. Cùm duos & ampliùs annos ea noxa perſtitiſſet, Siluæducis (nam ciuis erat) ad D. Ioannis ædem fulcro nixa ſe contulit, interfutura in ſacello Virginis Diuinæ rei. Vt limen attigit, creuêre vires, &, quod iam pridem ne tentare quidem licuerat, genua poſuit humi. Hinc ſpe non dubiâ obtinendæ à Deiparâ opis imbuta, ſub Sacri initium precationes intendere, ardentiuſque ſupplicare Virgini cœpit. At tum quidem, procedente re Diuinâ, defectionem virium ſubitam paſſa, ſemianimis iacuit, vix ſpiritum ducens, ſuique & ſacrificij, quod peragebatur, ignara. Verùm confectis propè Sacris, laxato demum ſpiritu, quem perturbatio arctauerat, non menti ſolùm, ſed etiam ſanitati abſolutæ reddita eſt. Itaque continuò alacritate nouâ exortâ, in grates Deiparæ ſoluendas ſe effudit; eique fulcrum ligneum dicauit, à quâ, ne tali ſubſidio egeret in poſterum, conſecuta erat. Inde domum reuertens, quibus in viâ ducibus vti ſoleret, nunc comites ſequi iubet, totum pedibus iter emetiens. Domi liberorum plauſu, fauſtiſque pro-

propinquorum acclamationibus omnia plena fuêre. Ciuibus iucundiſſimum miraculum accidit, quod non auribus, vt pleraque, ſed oculis, optimis teſtibus, acceperunt. M.D.XXI.

CAPVT XXIII.

Infans aquis hauſtus ad vitam redit.

MAternum Deiparæ animum nemo citiùs quàm mater exoret: quæ ſi miſera etiam fuerit, haud paullò efficaciores preces adferet. Hoc MARIAE ingenium Theodori, triennis pueri, infelix caſus in pago Dichdâ patefecit. Cum æqualibus in prata luſum abiit, procul à ſuorum conſpectu, ſecurus impendentis mali. Blandæ puerorum pellices aquæ, imminentem ipſis Theodorum fefellerunt. Fouea erat x. pedes alta, è cuius crepidine delapſus puer, à ſui ſimilibus nihil opis accepit, puerorum ritu, inſolitum caſum magis ploratu quàm auxilio ciendo prodentibus. Itaque mox hauſtus aquis videri deſiit. Tam longè aberant villæ, vt antè hora præteriret, quàm parentes, accepto ſodalium complorantium indicio, ad extinctum filium aduolarent. Quò vt ſerò ventum eſt, non conſpecto puero, diu flentes vocem non miſêre, ſtupentibus ſimiles. Inde neceſſitati præſenti ceſſit dolor, & quærendo cadaueri data eſt opera. Quod vbi repertum eſt, mater defuncto aſſidens filio, manantibus adhuc lacrymis, Siluaducenſem Diuam piè obſecrat, ne ſalutarem tot calamitoſis dexteram ſibi clau-

M.D.XXI. claudat. Recogitet, quare sit Mater, non illius modò, quem genuit, sed miserorum omnium, quos ipse eius Filius fraterno affectu magis, quàm vocabulo, dignatus est. Iamque plenior spei, ne donum quidem omissuram vouet, è vino, tritico, argento, auroque tantum pondus, quantum rediuiuo filio reddita vita præscriberet. Vix ea emissa vox erat, cùm, admirantibus cunctis, reuixit puer; iam magis Deiparæ quàm parentibus vitam debens. Ioannes Henricus, Theodori pater, haud ita multò pòst paruulum filium Siluæducis cum donis Deiparæ obtulit, & ipse velut in sobole rediuiuus.

CAPVT XXIV.

Miles tormenti maioris globo ictus, nihil læditur.

M.DC.III. *Octobri.* ERga militem quoque, sed pium, MARIA maternos animos gerit: neque militiam auersatur, feliciùs precibus quàm armis pugnantem. Cùm Mauritius Nassauius, anno post CHRISTVM natum sexcentesimo tertio supra millesimum, secundâ obsidione Siluamducis premeret, gregario militi certissimum inter pericula diuinæ opis auctoramentum, pietas in Virginem fuit. Italus erat, ex eâ legione, quæ Lælium Brancaccium tribunum sequebatur. Is miles circiter VI. Id. Octob. primâ luce, Deiparam propitiaturus, in sacellum eius se confert; staturam secum Virginem ratus, cuius sibi tutelam precandi studio conciliaret. Sup-

Supplicatione ritè peractâ, cùm salutem suam MARIAE cordi fore, non ambigeret, intrepidus ad Vuchtanam portam vadit, pietate quàm loricâ aut hastâ tutior. Adeunda erat suburbana statio, crebris hostium missilibus infesta. Ibi portâ egressus in aggerem procedit, transuersis fossarum mæandris intersectum. Tum profectò Deipara clientem suum, in extremo discrimine versantem, protexit. Ferreus quippe globus tormento excussus militem, ictui fortè patentem, impetiit. Nec dubia certissimæ mortis caussa aderat. Nam ferrum in summam pectoris sedem, quà ad collum pertinet, incitatum, trium & viginti librarum pondo excedebat. Sed globus, ab hoste nequaquam in miraculi gloriam missus, in colli dumtaxat armaturâ, relicto irriti impetus vestigio, in terram defluxit. Corpus viri, ne leuiter quidem saucium, solam ab impulsu incussam consternationem paululùm sensit; formidine maiore quàm damno. Mox additus animo vigor, etiam pectus percurrit; & reprehensum ante pedes globum sustulit miles, atque intra mœnia ad Deiparæ sacellum portauit; instrumentum mortis in trophæum versurus. Ceterùm vbi ædiculam ingressus est, supplex ante MARIAE simulacrum procubuit, felicissimum tanti miraculi euentum, vitæque suæ conseruationem eius tutelæ asscribens. Inde sacelli Curatori, multisque ad inauditi nuntij rumorem accurrentibus, rem adeò prodigiosam, vti gesta erat, exposuit, ac denuò nudatis genibus in terram prouolutus, M.DC.III.

M.DC.III. multis cum lacrymis precabundus mediam circiter horam traduxit. Verùm gliſcente miraculi famâ, cùm quà gratulantium quà ſciſcitantium frequentiâ obrueretur, declinato turbæ concurſu, templo exceſſit; ſtipendia Regis, Reginæque cæleſtis, longè vtique meliora ac certiora, inpoſterùm cogitans. Nec de narrationis veritate ambigendi relictus eſt locus, non modò tanti ponderis globum, ſed etiam globi impulſum, cui ferrea lamina, ſummos humeros protegens, introrſum repreſſa ceſſerat, coràm ſpectantibus. Etſi verò ad digniorem militiæ gradum, deinde à Centurione vltrò inuitaretur, miſſionem tamen honori prætulit: indignum ratus, militarem dignationem ſectari, quem cæleſte beneficium ſatis ornaret. Exauctoratus igitur, belli faſtidio in quietem ſe abdidit, procul armorum ſtrepitu ſalubrioris militiæ diſciplinam culturus. Res omnium ſermone celebrata, quot ſpectatores, tot teſtes habuit. Nos ipſi globum è ſacelli pariete pendentem, cum ferreo illo colli tegmine, impreſſum globi veſtigium etiamnum retinente, haud ſemel admirantes conſpeximus.

CAPVT XXV.

Siluaducis in hoſtium poteſtatem venit.

HAc tantâ miraculorum luce non magis quàm incolarum erga Deiparam amore præſtans ciuitas, longè pluribus etiam beneficiis, in cæleſtis auxilij indi-

indigos manantibus, MARIAE præsidis liberalitatem agnouit. Quorum tamen beneficiorum non exiguus numerus(vti suprà quoque monuimus) à nobis consultò prætermissus est: ne frequens vel morbi vel cladis minimè dispatis mentio fastidium pareret. Iis itaque præteritis, tandem quod & stilus memoriæ, & memoria posteris tradere refugit, exequendum est. Nono & vigesimo septimidecimi post CHRISTVM natum sæculi anno, illa religionis arx, illud antiquum cælestis Reginæ hospitium, illud publicum calamitosorum perfugium, ille Batauorum terror, pari Reip. luctu ac damno, in hostium ditionem concessit. Kalend. Maijs obsideri cœpta est. Atque initio quidem obsidio magis quàm oppugnatio fuit. Munimenta indefesso opere, magnaque celeritate ab hoste circumdata; præsertim ea, quæ arcendis auxiliis obstruebantur. Pauca, quæ in vrbem contra oppidanorum eruptiones versa erant, deinceps perfecta. Serò aduenêre suppetiæ. Irruptionem in Batauorum castra non tentandam, pluribus copiarum ducibus visum. Itaque Regius exercitus & virorum robore, & animorum ardore præstans, aliò abductus est: nimirum hostem ab obsidione ad curam tuendi sui conuersurus. Ad Siluamducis interim acerrimus feruebat Mars. Hostis continuato maximè fodiendi labore obsessos in arctum cogere; tormentis propugnacula, domos, corpora sternere; non vno loco in vrbem aditum moliri. Obsessi contrà pristinæ virtutis memores, crebris

& ſecundis ferè dimicationibus Batauos carpere; machinas hoſtiumque labores corrumpere; egregiis facinoribus digniorem exitum mereri. Neutris aut ceſſatio aut quies fuit: non ſudori, non ſanguini, non ſumptui parcitum. Cumque obſidentes nihil inexpertum omitterent, id omne fermè propugnantium ſeu audaciâ ſeu induſtriâ peſſumdabatur. Et quamquam hoſtis ſæpè in munimenta per cuniculos aperta ingenti ardore ſigna inferret; ſuſtinere tamen Siluaducenſium impetum numquam potuit. Semper, qui diſcrimen tentauerant, repulſi ſunt; rarum obſeſſis decus relinquentes, quod ne fundi quidem palmum, niſi quem Regij vltrò dèſererent, occupaſſent. Ergo & ſenſerunt virtutis enixæ vim, & Siluaducenſium animos, vt Romanis veteribus pares, verâ quidem, ſed infelici tamen laude, non fraudarunt. Itaque Batauus ligone, Regius miles gladio promptior habitus. Sed nimirum paulatim imminui oppidanorum numerum neceſſe erat; quos domi continuus vigiliarum, operis, pugnæ & vulnerum labor, quæ eoſdem ſemper vrgebant, foris noui oppugnatores, idemtidem feſſis ſuccedentes, atterebant. Subinde igitur propinquiores muris hoſtes, terram cuniculis, aquam molis, tecta incendiariis ollis, (quâ peſte nihil atrocius) pugnaciſſimum quemque perpetuis miſſilibus infeſtantes, viſi ſunt Siluamducis non antè expugnare potuiſſe, quàm elementa omnia, atque adeò naturam vniuerſam debellaſſent. Interim Henricus

Ber-

Berghius Comes, ſuperato feliciter Iſelâ amne, in Velauiam regionem tranſiit, atque incredibilem terrorem hoſtibus intulit: haud dubiè totam belli molem eò tracturus; niſi Veſalia, patefactò ruinâ muro, hoſtem ad maiorem, quàm pro præſente fortunâ ſuâ, conatum inuitaſſet. Itaque nihil cunctatus Batauus, primâ luce, quà via dabatur, per prona mœnium irrumpit, & modicâ cæde editâ vrbem occupat. Ea clades omnia repentè mutauit; exercitumque Catholicum dolore atque irâ, Siluamducis conſternatione, luctu patriam, hoſtes fiduciâ gaudioque impleuit. Adeò vniuerſa tam ancipitis belli ſors à neglectâ collapſi munimenti tutelâ pependit. Siluæducis intereà etſi animi in ſpe vltimâ obſtinati ad decertandum erant, longam tamen ſpei moram obſeſſorum fortuna non tulit. Iam pluribus ſimul locis vi ſummâ hoſtis muro appropinquabat; neque arceri vltrà poterat, tum propugnantium paucitate, tum copiâ ſulphurei pulueris conſumptâ. Seneſcebat etiam exſpectatio externæ opis. Ergo vt omnia ſibi indies arctiora vidit eſſe, omnibus bellis victrix ciuitas, ad rumpendam deditionis moram compellitur. Et quamquam Antonius Baro Grobendoncquius Præfectus ad vim aliquantò diutiùs cum extremo periculo repellendam obſtinauerat animum; Clero tamen Senatuque contendentibus, nefas eſſe, tot ciuium ſanguinem hoſtili ſæuitiæ per inutilem dilationem obiicere, tandem ciuitas per pactiones hoſti tradita eſt. Cruenta obſidio quatuor

 men-

mensium ac propè dimidij fuit, non obsidentibus, quàm obsessis gloriosior. Vel ipsam fortitudinem vinci potuisse, Siluaducis victa docuit; eximiam in Deum ac Reges fidem etiam vltimâ calamitate satis indicans.

CAPVT XXVI.

Siluaducensium luctus ob Sacrorum & Religionis mutationem.

NVnc ad ingentem mœstissimæ ciuitatis luctum vertenda mens est. Postquam enim à ciuibus cognitum est, ipsos vltrà defendi non posse; attonitis similes, & quid potissimùm timerent incerti, multiplici doloris exspectatione percellebantur. Ab Rege, cui tot fidei suæ documenta dederant, ab reliquarum vrbium Catholicarum velut sororum nexu, se auelli cernebant. Aliis legibus moribusque inposterum viuendum esse. Ad hoc, vnicam in illâ fortunâ opem, consuetum numquam desertæ Religionis vsum auferri. Non aras, non templa, non Cælitum imagines, non statas solemnesque cærimonias, non Christianos ritus pietati suæ relictum iri. Ecclesiæ, Matris vtique amantissimæ dulcissimæque, conspectu non ampliùs fruituros. Diuini verbi pabulo, cælestiumque mysteriorum solatio carendum. Cœnobitarum Monasteria sacrilegis cultoribus, an corruptoribus? dedenda. Religiosarum Virginum intemerata ad eam diem penetralia dispares oculos subitura. Iam Episcopo, totque

Sacer-

Sacerdotibus ac Cœnobitis, quorum & ſermonibus virtutum notitiam, & exemplis vſum didiciſſent, ſolum vertendum eſſe. Solitudinem deinde ſuam in morbis, in aduerſitatibus, in ærumnis, in vltimo vitæ exitu, qui etiam cum duce vix tutus eſt, mentibus augurabantur. Et, cùm diu, nunc in priſtinæ felicitatis memoriâ, nunc in metu tot inſtantium malorum hæſiſſent, tandem miſeratio verſa eſt in liberos ac nepotes paruulos, ob idipſum miſerabiliores, quòd nondum ſentire poſſent ſacrorum iacturam, maximâ ex parte ad ipſos redundantem. Quem enim Chriſtianis myſteriis initiaturum illam ætatem, quæ ſeu bonam ſeu prauam ſortem acceperit, cum ingenti fœnore ſit redditura? Quem cæleſtis doctrinæ ac pietatis ſemina animis, æquè antidoti ac veneni capacibus, præbiturum? Veteranos Catholicos, quos ætas, quos longa diſciplina firmaſſet, quam fidem ſanguine defendiſſent, non ſpe, non metu abiecturos: verùm tironibus eos annos ingreſſis, qui commenta fallentium deguſtent, & nondum eos qui reſpuant, omnia timenda imminere. Nihil citius, quàm hoſce vixdum pullulantes pueritiæ flores leui errorum afflatu in herbâ elidi poſſe. Matres igitur pœnitebat fecunditatis ſuæ: patribus filij graues erant in tot pericula creſcentes. Præuiſos tot luctus auxit deindè euentus omni exſpectatione funeſtior; poſtquam hoſtes intra mœnia conſpecti ſunt. Tum verò ciuitas plenè didicit infelix eſſe. Cùm enim nudarentur cultu altaria; cùm & effi-

gies,

gies & Reliquiæ Diuorum, & consecrata templis vasa, & sacra omnia publica, ceteraq; pietatis incitamenta, procul ab hostili contumeliâ auferrentur; cùm occluderentur pietatis ac litterarũ scholæ; cùm Sacerdotes, virtutumque ac veritatis Magistri, parentibus vitaque cariores, iam in exilium abeuntes, corruenti ad genua multitudini, lacrymis, quod verbis nõ possent, postremùm benè precarentur; cùm tribunalia, pœnitentium lacrymis non ampliùs riganda, sedibus suis euellerentur; cùm è sacello suo dulcissimæ MARIAE Virginis statua, illud omnium cladium, præterquam præsentis, remedium, cui vltimas spes suas deuouerant, abesset; cùm CHRISTI ad mortales se demittentis tabernacula, immenso thesauro vacua, paterent: non iam vltra conceptum animis dolorem fortissimi ciues perferre poterant, neque flentium oculis vltrà lacrymæ sufficiebant. Facies rerum etiam hostibus tristis. Quippe cùm nihil superesset solatij in dubiâ victoris clementiâ, non in gemitus modò, sed etiam in eiulatus totâ vrbe effusi, ac sensim deinde obtorpescentes, in mœrores tamen quos tot caussæ multiplicarent, perpetuò reuoluebantur. Vnicum restabat, sed miserum solatium, tam fortiter cecidisse ciuitatem, quæ tam diu fortissimè steterat. Ceterùm vix aliàs ad tot simul clades Catholicũ Belgium trepidauit; præterquàm ereptâ Regiis classe, captâ etiam Vesaliâ, desertâ Velauiâ, Siluaducis expugnatâ, exercitu Regio penuriâ, itinerum molestiis, morbis, atque aduersâ, sicut ferè fit, fortunâ dissipato.

CA-

CAPVT XXVII.

Siluaducensium calamitas ad diuinam prouidentiam relata expenditur.

EXinde, vbi per vniuersum Belgium se in querelas pronus effudit dolor; vt in publicis malis omnes sapiunt, ita tantæ cladis seu caussas seu remedia prô suo quisque captu promebant; non vtilia pro tristibus, sed ferè acerba pro necessariis adferentes. Cumque non satis perspectas haberent æternæ prouidentiæ leges, vtiliores ferè quàm notiores mortalibus; ne considerabant quidem, iustissimis, licet ignotis de caussis, ciuitatem eiusque incolas, incorruptæ doctrinæ ac pietatis tenacissimos, potestati hostium à Deo Deique Parente permitti potuisse. Quis autem diuinorum secretorum caussas euoluet; quarum vt occultæ sunt viæ, ita inuestigatio cæca est? Nónne sui iuris Numen est? an ad leges humanas componitur? Nónne, vtcumque res euenerint, summa iustitia est voluntas Dei? An Deo, eiusque Matri tueri quosuis necesse est, non iudicio suo, sed lege suffragioque cæcorum mortalium? non hoc est Numen seruum pro domino facere, ac Deiparam pedissequam pro Reginâ? At Siluaducensibus, inquiunt hæretici, in Præside suâ præsidij nihil fuisse visum est. Quid? ideóne cælestis Regina suos defendere non potuit, quia vim atque iniuriam non arcuit? Profectò si hoc est opitulari non posse,

non vident illi, quâ impudentiâ Virgini potentiam detrahunt, eadem se vel ipsi Deo, si insanire pergant, dominationem quoque suam, quantum quidem in ipsis est, erepturos. An ergo Deus etiam se suosque tueri non potuit, quia Ierosolymam, illam Religionis magistram, illam maiestatis suæ sedem, etiam Seruatoris nostri vestigiis sacratam, oraculis eruditam, celebratam miraculis, toties obsideri, capi, vastari, ac demum pessumdari sustinuit? quia augustissimum templum orbis terrarum deleri incendiis, superstitionibus inquinari, ruinis euastari? quia Arcam, vnicum Reip. suæ decus ac pignus, tot prodigiis nobile, ab hostibus excipi, & barbarorum conspectu profanari permisit? Nónne sanctissimus Caluariæ mons, vbi salutis trophæum CHRISTVS erexit, barbarorum pedibus subditur, & ne gratis quidem venerationem admittit? Nónne Constantinopolis, ciuitas Virginis appellata, sub Turcarum gemit iugo? Nónne plurima impia bella, atque aduersus Deum magis quàm homines gesta, etiam in victorias desierunt? Quis hæc ad Numinis impotentiam retulit? An verò idcircò inermis est Deus, quòd arma det hosti, quibus populum suum ad bonam mentem atque ad animorum demissionem impellat? Ideóne infirmus, quia domum suam mauult hostilibus flammis ardere, quàm domesticis vitiis? & inimicorũ sacrilegiis pollui, quàm filiorum? Iam, quando in CHRISTO ipso sapientia ludibriis, omnipotentia vinculis, innocentia criminibus,

nibus, mendaciis veritas, Maieſtas ſuprema tot indignitatibus obruta fuit, an tum CHRISTVS potentiâ ſuâ exciderat? an Iudæ, Herodi, interfectoribus ſuis impar erat? an tum CHRISTO cæleſtes legiones, cæleſtibus legionibus fulmina deerant? Deipara verò, cur viribus ſuis fraudetur, quas non diuinis quidem ſimiles, ſed proximas obtinet? Illáne Siluamducis ſeruare non potuit, quæ in Hiſpaniâ Cæſarauguſtam, 1134.
quæ Lauretum in Italiâ; atque vt notiora proferam, 1470.
quæ in Belgio Tornacum, Atrebatum, Hallam, addictas 2340.
ſibi vrbes, quondam tutata eſt? Potuit profe- 1491.
ctò, potuit Deipara fortunæ in ſuos ciues ſæuientis 1489.
acerbitatem mitigare: ceterùm quò robuſtior eſſet &1580.
eorum extra delicias virtus, quò clarior virtutis nulli malo cedentis gloria, quò ſtabilior poſt tot damna felicitas, idcircò hoſtes moribus ſuis vti paſſa eſt. Non ſatis tutum eſt diuturnæ felicitatis commercium. Hinc mauult ſuos Diua ſaluos quàm lætos eſſe. Fiunt miſeri, ne fiant mali. Neque idcircò eos MARIA deſerit, quòd affligantur: ſed affligi ſinit, ne deſerat. Itaque non vires ad compeſcendum hoſtem, ſed cauſſa Virgini defuit. Quis autem Deum ac Deiparam iactabit efficere non potuiſſe, quidqnid non faciunt? Summum imperium eſt, non omnia facere, ſed omnia poſſe. Siluaducis deinde Regi ſuo erepta eſt, non Deo: cùm, præter mœnia ac tecta, hoſtis ibi nihil ceperit. Locum victor inuaſit, non conſcientiam ciuium. Muri ſunt violati, non mores. Religionis abla-

tus vſus, non ſenſus; deque obſeſſorum armis, non de animis triumphatum eſt Hinc vel maximè Numini cordi ſunt, dum perferunt bono ſuo ſiue hominum arma, ſiue flagella Dei: quæ non tam ſunt grauia tolerantibus, quàm tolerare nolentibus. Neque verò arx Religionis euerſa eſt, vbi propemodum tot arces fidei ſunt, quot pectora ciuium; tot aræ, quot corda; tot veritatis præcones, quot linguæ: vbi templis exulant ciues, non cælis. At domo ſuâ pulſa Virgo eſt. Falleris. Non Virginis domus Siluaducis, ſed Siluaducenſes ſunt. qui quamdiu erunt, hoſpitium ſibi gratum Diua inueniet. Quid? quòd ne ablata quidem ſunt MARIAE ſiue beneficia, ſiue miracula; ſed quodammodò mutata: olim ferè corporibus conſulente Deiparâ, nunc animos magis tutante. Quod miraculorum genus, vt ſalubrius calamitoſis, ita cæleſtibus longè iucundius eſt. Numquid affine miraculo eſt, calcatam fidem non ſtare modò, ſed creſcere; & pietatem incitare, quidquid infeſtat? Atque adhuc quidem in Eccleſiæ caſtris ſtipendia accepêre Siluaducenſes; nunc ſuo ſumptu militant; & quæ illis fructui fuit religio, nunc impenſæ eſt. Hoc ſpectatâ fortiſſimorum ciuium virtute, hoc glorioſo Siluaducenſium nomine dignum eſt. Sic patientiæ victricis exemplo mutuam quoque conſtantiam confirmant; & præliantis Eccleſiæ trophæa ſuâ calamitate multiplicant. Preces ergo, & ſupplicationes, ceteraque diuinæ iræ placamina, quibus non magis ſinguli quàm vniuerſi Belgæ Siluam-

uamducis ex imminente ruinâ eripere nisi sunt, tantum abest vt irrita fuerint, vt fructus etiam tulerint, precantium votis non alienos. Nihil enim humile, nihil medium exposcebant, qui Deum Siluæducis propitiabant. Non flagitabatur illa prosperitas, quæ insolentiores facit quàm sanctiores. Non affluentia caducarum rerum in votis erat, quas si magnifaceret Deus, in hostes suos haudquaquam effunderet. Longè alia intuebantur, quibus Siluaducenses potiùs quàm Siluaducensium fortunæ cordi erant. Nam perseuerantiam in fide, Cælitum pacem, sanctimoniam vitæ ac morum, incrementa virtutum bonorumque cælestium, æternas opes, ceteraque diuini magis fauoris quàm humanæ industriæ pignora, pro Siluaducensibus postulabant à Deo. Ad cetera, quæ cæca spargit sors, non expandebant sinum; scientes, huius vitæ commoda non esse stipendia amicorum Dei. Quòd si veris illis bonis abundaret Siluaducis (quorum insignia tot inter clades non modò retinet, sed ostentat) non dubitabant, quin & præteritæ fortunæ memoriam, & præsentis iugum fortiter pati posset. Itaque aliorsum magis abierunt verba quàm mentes precantium; satis gnaræ, non quidquid est contra voluntatem infelicium, id omne contra eorumdem vtilitatem esse. Virginis porrò gloriæ nihil officit etiam inulta hæreticorum procacia, quidquid ex magistro suo didicerunt, vociferantium. Hi enim potiùs malæ quàm nullius rei auctores, dum vesanam maledi-

cendi rabiem exercent, quo in Filium ſint animo ſatis indicant, cuius Matrem conuitiis inceſſunt. Verùm, vt canes timidi acriùs latrant quàm mordent: ac nebularum inſtar, vbi ſe aliquantiſper offudêre ſoli, mox ex alto in paludes ſuas recidunt, lutoque merguntur: tantum abeſt vt ſolem inficiant. Non eſt ſublimior Filio Mater: & tamen in illum quoque impunè obtrectatio incurrit. Atque vtinam tam felix eſſet illorum impietas, vt viui ſupplicium ſoluant Deiparæ, non tam ſemet vlciſcenti quàm ipſos emendanti! ſed hæc eorum grauiſſima pœna eſt, nondum puniri. A nobis autem miſericordiæ Mater roganda eſt, vt pro ſuâ etiam in hoſtes clementiâ, non tam infeſta ſit illis quàm inuiſa eſt; vtque antè eius gratiam expetere diſcant quàm iras timere. Iam ſi diſceptandum ſit, an vrbis euerſio ſit criminum pœna; quiſque ſemet inſpiciat, ac ſi domi ſuæ deprehenderit peſtem, expellat. Quemque actorem ac iudicem ſuimet facio. Accuſante Siluaducis, quiſque ſibi ius dicat. Non eſt leuis morbi tam durum remedium. Non cuiuis delicto tanta clades irrogatur. Fortè & totius Belgij conſeruationi profuturum erat, quidquid Siluaducis tuliſſet. Vnius clade plures ſapient. Ad huius enim ictum fulminis non vna Silua, ſed etiam vicina omnia tremuerunt. Illam procella percuſſit, ceteros cautelæ magiſter metus. Neque de animaduerſione Numinis querelæ texendæ ſunt. Penes reos numquam eſt ſupplicij modus; maximè vbi fert ſententiam iudex, qui nocere

non

non vult, falli non poteſt. Ceterùm ne Siluaducenſium intereat fides, id fidei largitori curæ futurum eſt. Quos vltima flagitia indignos verâ religione fecerint, illos ſua impietas ex Eccleſiæ quoque ſinu excutiet. Qui crimine innoxius eſt, fide non excidet. Verumtamen vnum, ſeruatæ nimirum ciuitatis, miraculum deſideratur. Hoc vulgi iudicium euentus à Deo permiſſus condemnat. Nobilius miraculum Deo viſum fuit, Siluaducenſes extra humana præſidia, & ſub hoſtili iugo veritatem propugnare, quàm inter ſecundas res oratione ſecurâ profiteri. Neque leuis ciuibus additur gloria, ſi quibus ceteri cladibus procumberent, his ipſorum triumphet conſtantia. Nos interim Deo Deique Matri ſupplicabimus, vt ne diu ſordidatos ſuos ciues aſpiciat, neque magis votis Catholicorum quàm armis adſit. Ita fiet, vt neque longiùs eodem veſtigio fortuna perſiſtat, & virtutis Siluaducenſis experimento in veniæ teſtimonium mutato, minimè diuturnum victori ſit gaudium ex calamitate amicorum Dei.

CAPVT XXVIII.

B. MARIAE *ſtatua Bruxellam transfertur.*

CEterùm, vti hoſtis iam potitus vrbe, mox Sacrorum omnium ac Religionis priſtinæ vſum ſuſtulit: ita Siluaducenſes, quos nondum ſtupefecerat communis luctus, conſulere Sacris publicis, ac Diuorum ſignis,

ſignis, ceteroque templorum inſtrumento cœperunt. Suam quiſque religionem, ſua conſilia, communibus deploratis, exequebatur. Itaque permulta ab iniuriis & contumeliis hoſtilibus procul ablata ſunt. non pauca in priuatas etiam domos, hoſte minimè vetante, comportata. Anna Hambroeckia, nobilis virgo, MARIAE Matris ſtatuam primùm abdidit domi ſuæ, ac fideli cuſtodiâ aſſeruauit: deinde, ne quo caſu ea peſſum iret, auexit Antuerpiam, nouum tam ſancto pignori hoſpitium quæritans. Tandem ciuitas Bruxella non auguſtior quàm tutior viſa eſt. Quamquam ego cæleſti potiùs inſtinctu, quàm humano conſilio, hanc exuli ſtatuæ ſedem oblatam exiſtimo; nimirum vt Principes Reip. tum exilij ſui, tum captæ Siluæducis eò vſque admoneat, dum tantæ cladi ſit partum remedium. Sed & ſingulare Bruxellenſium erga Deiparam ſtudium, quod in multis illa rebus pridem perſpexit, non ſiuit aliò diuertere tam gratam hoſpitem. Siluaducenſibus quoque religione ac fide in Virginem Bruxellenſes haudquaquam ceſſuri ſunt. Ceterùm vbi Bruxellæ in vulgus indicatum eſt, ſignum illud Deiparæ Virginis, tot miraculis illuſtre, intra mœnia delatum eſſe; enimuerò plurimorum animos gratæ nouitatis non admiratio tantùm, ſed etiam religio inceſſit. Præcipua ISABELLAE, Hiſpaniarum Infantæ, vt pietas, ita ſtudium fuit. Hæc velut de cælo tranſmiſſum ad ſe donum eximio cum honore decreuit excipere; ſatis fidens, quem locum Mater adamaſſet, eum Filio

Filio quoque cordi fore. ISABELLAE ergo iuſſu primùm tantus theſaurus in Caudenberganam ædem, quam D. Iacobi frequentat parochia, infertur, ſæculi à CHRISTI Natiuitate ſextidecimi anno trigeſimo. Quò vbi fama multitudinis concurſum exciuit; omnem ætatem, omnemque ordinem, tum viſendi, tum venerandi ardore feruere cerneres, & inſolitam quamdam lætitiam, ſed dolori mixtam, præ ſe ferre. Recreabat mirè omnium oculos conſpecta dulciſſimæ Dei Parentis effigies; cui tamen in priſtinâ ſede manſionem diuturniorem, quàm in nouâ inexſpectatum aduentum gratulari mallent; Siluaducenſis vtique vulneris recenti memoriâ, præſentis gaudij non tam ſenſum quàm exuberantiam inhibente. Confluentis quoque populi religionem commendabat effuſa largitas, oblatis certatim donis abundè prodita. Nec ISABELLAE Auſtriacæ deſideria aut decreta magnificentiora factis fuêre. Imago quippe deinceps ad Capellæ templum delata, quantis maximis potuit ſtudiis ab eâdem Principe honorata eſt. Fortè res in ſecundam ſacroſanctæ hebdomadæ Feriam incidit: quo die publicæ ibi preces, ad propitiandum Belgis Numen, à Patribus Capucinis inſtituebantur. Earum precum celebritatem haud parum auxit Deiparæ tranſitus, ſolemni apparatu ac pompâ nobilis. Alfonſus de Cueua Cardinalis inibi Sacrum fecit, auguſtâ quà vocum quà muſicorum organorum ſymphoniâ decoratum. Ab oratore Capucino ſubiecta eſt con-

 cio.

cio. Cùm vtrique ISABELLA Infanta magno pietatis exemplo interfuiſſet, ſupplicatio aliquando peragi cœpta eſt. Procedebat ingens oppidanorum vis, collucebantque plurimorum faces, non ſuâ magis luce quàm geſtantium affectu conſpicuæ. Proſequebantur Patres Capucini, & Magnatum Sodalitas, non auro, non diſcolori veſte, ſed pannoſo atque horrido habitu, & ſublimi cruce, irrogatas Chriſto indignitates recolens. Super ferculum, vnde ab omnibus conſpici poſſet, imago Deiparæ ferebatur. Quatuor Capucini, Siluaducenſes omnes, totius patriæ vice, ſubiecerant humeros; ne, cùm ab vrbe ſuâ Patrona abeſſet, ab ipsâ etiam abeſſent ciues ſui. Comitabatur & alia Siluaducenſium manus, ſolis lacrymis ac ſuſpiriis præſentem damni & orbitatis ſuæ ſenſum leniens. Poſt Virginis ſtatuam incedebat ISABELLA Princeps, cunctique Primores, & copioſa Nobilitas. Hos claudens multitudo inundauerat viam, etiam pluuiæ incommodo pietati poſthabito. Vbi ad frumentariam domum ventum eſt, è D. Gaugerici parochiâ (quò totum tendebat agmen) Clerus cum populo obuiàm prodiere. Hîc maior opinione numerus hominum fuit. Non mulieres, non puellæ, non ſenes ſe domi continere poterant. Vniuerſam D. Gaugerici parochiam impetu quodam ardoris effuſam diceres. Tædarum ac cereorum vis immenſa fulgebat. Supplicatio hoc tanto comitatu frequentior, poſtquam ad Patrum Franciſcanorum regionem deſcendit,

nouâ

nouâ porrò, nec minùs ſplendidâ acceſſione aucta eſt. Illuſtris ibi ac vetuſta eſt Sodalitas, à Deiparâ, concentu auium celebratâ, nomen obtinens. Inde Sodales progrediebantur, ſpectabiles ornatu ſuo. Tredecim inter ceteros notabantur, totidem rubra è damaſceno ſerico vexilla, quæ ferè ante biennium ISABELLA Infanta dono dederat, præferentes. In quolibet vexillo expreſſus aureis litteris titulus enitebat, multiplicem Virginis honorem indicans. Eam inſcriptionem circuibant rami aurei, coronâ, foliorum apicibus incumbente, connexi. Hanc Sodalitatem ſequebantur virgines duæ, altera Bruxellam ciuitatem, altera Siluamducis repræſentans: quæ Sodales modicis interuallis diſtantes prætergreſſæ, vbi in conſpectum Diua venit, eam venerabundæ excipiunt. Cultus puellarum vtriuſque fortunæ conueniens ſpectabatur. Bruxellam decorabat feſtus habitus, triumphantis in morem; inuſitatæ lætitiæ, ob tantam receptam hoſpitem, index. Proximus ibat illi Sodalitati Præpoſitus, ingens cærulei coloris vexillum gerens. Puella Siluamducis referens, atrata ac mœrens, funeſto inſuper peplo vultum obnupſerat. Ponè ſequebatur eidem Sodalitio à ſecretis, qui vexillum luctui concolor ſumpſerat. Poſtquam omnis hæc pompa in vnam coïuit, D. Gaugerici templum ingreſſos, quò ſacra effigies inferebatur, feſtiuus concinentium plauſus excepit. Hîc omnium veneratio redintegrata eſt; præſertim, cùm tot calamitoſis auxiliarem theſaurum

iam nouâ in ſede repoſitum cernerent. Ac tum Siluaducenſes quidem aſſeruandæ inpoſterum ſtatuæ cura, ſed non ſpes reducendæ deſerüit. Sacellum in eo templo viſitur verſus meridiem aram principem cingens. Quibus dyſenteria infeſta eſt, vix alibi præſentius remedium inueniunt. Inde celebre loco nomen obtigit, eiuſce morbi curatione vulgatum. In hoc ſacello medius ſuper aram locus virgineo ſimulacro tributus eſt: honoraria vtrimque vexilla ibidem ad triduum relicta. Neque ignotam ſibi domum cæleſtis Regina ſubiiſſe viſa eſt. Quippe Septemtrionalis aræ ſummæ regio altero ſacello clauditur, quod inſuper Deiparæ, ſeptenis dolorum aculeis ſauciæ, conſecratum eſt. Hîc ſingulis ſabbatis ſolemni cærimoniâ Sacrum peragitur, prægnantibus ex vrbe totâ feminis æquè frequentatum ac ſalutare. Huc celebre Sodalitium conuenit, Deiparæ doloribus memorandis à Philippo Pulchro, Hiſpaniarum Rege, ac Belgarum Principe, inſtitutum. Ceterùm vbi in hoc domicilio iam conſediſſe Dei Matris imaginem fama vulgauit, augeri concurſus cœpit, non tam ad ſpectaculum quàm ad ſolatium confluentium. Neque celebrior ea pietas quàm fructuoſior fuit. Alij quippe ad primum gratiſſimi ſigni conſpectum inuſitatâ ſeſe dulcedine imbui, longè plures horrore quodam ſacro pectora animoſque percelli ſenſerunt. Inde, vt ſunt auidi beneficiorum mortales, prout ſua quemque religio aut neceſſitas vrgebat, valetudinem

quo-

quoque ac ſanitatem non pauci flagitarunt. Nec vota vana, nec precantium voces in irritum cadebant. Graues quippe, etiam de Clero, auctores habeo, ſatis multos depulſis variorum morborum atque ærumnarum moleſtiis ſalutiferam dulciſſimæ Matris opem expertos eſſe. De quibus equidem conſultius duxi nihil prodere, vſque dum publicam iis legitima auctoritas certitudinem adſtruat. Malui enim planè certa quàm multa proferre, atque audientium fidem non tam onerare quàm mereri.



INDEX CAPITVM HISTORIÆ MIRACVLORVM B. MARIÆ SILVADVCENSIS.

LIBRI PRIMI.

LIBRI SECVNDI.

Mulie-

Clau-

Cæcus

Mari-

LIBRI TERTII.

LIBRI QVARTI.

INDEX MIRACVLORVM,

Morbos, clades, pericula, & beneficia DEIPARÆ *exprimens.*


Inno-



INDEX

INDEX MIRACVLORVM PRÆTERMISSORVM,

quibus adiuti ac ſubleuati ſunt.



FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

CVM Historiam Miraculorum B. MARIAE Virginis Siluaducensis, à P. Othone Zylio Societatis IESV Sacerdote conscriptam, tres designati Societatis nostræ Theologi legerint, & in lucem edi posse probauerint; ego Guilielmus de Wael Præpositus Prouincialis Societatis IESV per Flandro-Belgicam, potestate ad id mihi factâ ab admodum Reuerendo Patre nostro Mutio Vitellesco Præposito Generali, facultatem concedo, vt typis mandetur. In quorum fidem hasce meâ manu subscriptas sigilloque officij munitas dedi. Bruxellæ XXV. Iunij, M. DC. XXXI.

Guilielmus de VVael.

APPROBATIO CENSORIS.

HISTORIAM Miraculorum B. Virginis MARIAE apud Siluaducenses celebratæ, à R. P. Othone Zylio Societatis IESV Sacerdote Latinè scriptam, ad Dei Deique Matris gloriam, salutem animarum, Ecclesiæ bonum & Catholicorum Siluaducensium solatium, in lucem euulgari posse iudico. Antuerpiæ XXIX. Iunij, M. DC. XXXI.

Gaspar Estrix Plebanus & librorum Censor Antuerpiæ.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHILIPPI IV. Hiſpaniarum & Indiarum Regis Catholici ac Sereniſſimi Belgarum Principis Priuilegio cautum eſt, nequis *Othonis Zylij è Societate* IESV *Hiſtoriam Miraculorum B.* MARIAE *Siluaducenſis*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra ſexennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſam in Germaniæ Inferioris ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XXI. Iulij, M.DC.XXXI.

Signat.

Steenhuyſe.

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XXXII.




LABORE ET CONSTANTIA